SVPER OMNEM GLORIAM

S. DIONYSIVS



AREOPAGITA.

PROTECTIO.

CONSTITVTIONES, ET DECRETA SACRÆ FLORENTINÆ VNIVERSITATIS THEOLOGORVM.

VNA CVM ILLIVS PRIMÆVA ORIGINE,
ac Illuſtrium Virorum qui ex illa frequenter prodierunt

ENARRATIONE.

OMNIA OLIM SIMVL COLLECTA, AC PRIMO IN LVCEM
edita ſub Decanatu A.R.D. Magiſtri FIDELIS *de* CORSETTIS
à Puppio Monachi Vallumbroſani;

NVNC DENVO AVCTA, ET ACCVRATIVS
recognita, Decano A. R. P. M. RAPHAELE BADIO
Florentino Ordinis Prædicatorum,

DEQVE EORVNDEM MAGISTRORVM CONSILIO,
ac Illuſtriſs., & Reuerendiſs. D. ARHIEPISCOPI *Florentini*
Vniuerſitatis præfatæ Moderatoris authoritate firmata.

SOC IESV BIBL SEC COLL ROM
BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. T. EMANUELE



FLORENTIÆ, apud Vincentium Vangelilti Archiep. Typogr.
SVPERIORVM PERMISSV. MDCLXXXIII.

D. O. M. A.

IACOBVS ANTONIVS MORIGIA PATRITIVS MEDIOL. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiep. Florentinus, & Almæ Vniuerſitatis Theologorum Præſidens, & Præfectus.

ADm. Reuerendis PP. eiuſdem Collegij Sacræ Theologiæ Magiſtris ſalutem in eo, qui eſt omnium noſtrum vera ſalus. Cum olim anno Domini 1614. die quarta Octobris per Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Alexandrum Martium Medicem Archiepiſcopum Prædeceſſorem noſtrum confirmata, & approbata fuerint, ac primo in lucem edita veſtræ Vniuerſitatis prædictæ Statuta, ac Decreta, ſub Decanatu Ad. R. P. D. Fidelis de Corſettis Monachi Vallumbroſani, & inſuper declarationes aliquot ſuper eadem ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Petro Niccolino Archiepiſcopo pariter Prædeceſſore noſtro ſub die 24. Ianuarij 1639. ab Incarn., Decano D. Adriano del Beccuto Monaco itidem Vallumbroſano etiam additæ, confirmatæ, & approbatę fuerint, necnon Conſtitutiones aliæ, atq; Sanctiones à cæteris Prædeceſſoribus noſtris emanatæ, non tamen hucuſq; impreſſæ; Nos pro noſtri Officij auctoritate, quam ſupra eamdem Vniuerſitatem gerimus comprobantes, & confirmantes, atq; pro noſtrę Paſtoralis Præfecturæ zelo cupientes hanc eamdem cui ſedulo præeſſe debemus, Vniuerſitatem quotidie magis in Domino proficere (habito ſuper his maturo conſilio) prædictis Decretis, Declarationibus, & Conſtitutionibus ea qua fungimur auctoritate comprobatis, & confirmatis, quantum poſſumus robur adijcimus, atque concedimus omnia hæc ſimul collecta, aucta, ac melius, & diligentius recognita, Typis mandari,

hoc

hoc iam maiori veſtrum parte conſulente, & Nobis idem proponente Ad. R.P.Mag. Raphaele Badio Or. Præd. ad præſens Decano, hortantes itidem, atque mandantes, vt ab omnibus, & ſingulis, tam præſentibus, quam futuris prædictæ Vniuerſitatis Magiſtris recipiantur, & inuiolabiliter obſeruentur. Nihilominus Nobis, & Collegio veſtro reſeruantes facultatem addendi, minuendi, & declarandi, ſi quid pro temporum, & perſonarum opportunitate ad aliquod laudabile inſtitutum viſum fuerit neceſſariò addendum, vel minuendum, aut iterum declarandum. Qua in re firmum, & ratum id haberi volumus, quod à maiori veſtri Collegij parte Decretum, & à Nobis approbatum fuerit. Datum Florentiæ ex noſtro Archiepiſcopali Palatio cum noſtræ manus, & Sigilli appoſitione Die 4. menſis Septembris 1683.

Iacobus Antonius Archiep. Florent.

Loco ✠ Sigilli.

Laurentius de Borghigianis I.V.D. Cancell.

DE

DE ORIGINE,

ET PRIVILEGIIS,

Quibus Theologica Vniuerſitas Florentina inſtituta, auctaque fuit.

POſtquam Vrbs Florentia, & Mœnijs amplioribus vltra vetus Pomærium circa Annum Dom. MCCC. dilatari, nec non altioribus præmuniri turribus, ac magna Æde marmorea, per amploque Reipublicæ Palatio, alijsque munificentiſſimis ædificijs intus exornari, foriſq; interea viribus, & imperio ſupra modum dilatari inſtituiſſet, propulſis procul, & deuictis hoſtibus, ac rebus, tam intra, quam extra in pace compoſitis, Ciuiumq; animis in vnum redactis, de noua tandem, recteq; paulatim reſtituenda Republica prudenter excogitare cæpit. Verum quo facilius id ex ſententia aſſequi valeret, primum de otio in vtilium Artium negotium commutando mox de tranquilla Ciuium, & Senatus ſalute ex optimis moribus auſpicanda, totaque ſimul Republica componenda conſilium inijt. Cum autem in reformandis, inſtituendiſque hominum animis nullum ſalubrius remedium adhiberi poſſe animaduertiſſet, quam rei Literariæ ſtudium, quo per virtutes i paſs ad ſummum felicitatis faſtigium prouehimur de nouo in ſua Vrbe erigendo, litterarum omnium Gymnaſio id (vt par erat) vehementer efflagitante, ac ſummo ſtudio Procurante Angelo Acciaiolo ex Prædicatoria Familia Florentino Epiſcopo meditari cepit.

Anno igitur Virginei partus 1348. ex eiuſdem Senatus conſulto ad Summum Pontificem Clementem VI. Auenioni commorantem Oratores deſtinantur, qui de nouo Florentiæ liberalium

lium Artium Medicinæ, Imperialium Legum, Sacrorum Canonum, & Diuinæ Theologiæ ſtudio fundando cum Pontifice agerent; his Nuntijs maximè excitatus, oblectatuſque optimus Paſtor, tum quod Rempublicam ipſa in centro Italiæ florentem, & ſibi, & Apoſtolicæ Sedi deuinctiſſimam agnoſceret, perindeque plurimi faceret, tum quod, & ipſe prius fuiſſet literarum cupidiſſimus, & Iuris Pontificij, ac Sacræ Theologiæ egregius Profeſſor, in Diuiniſque ſcripturis valdè eruditus, & fructuoſiſſimus quondam Euangelij declamator, de modo, & ordine huiuſmodi ſtatuendæ Accademiæ ſimul cum ipſis Oratoribus egit, quos tandem Priuilegijs ampliſſimis munifice cumulatos per benigne dimiſit cum ſacris Literis Auenioni datis ad Rempublicam Florentinam, tunc Ioanni Raffacano Vexillifero, pridie Calendas Iunij quarum ſumma erat (Mattheo Villanio atteſtante *) quod ſtudium Florẽtinum ijſdem perinde priuilegijs, & immunitatibus gauderet, ac Bononienſe, Pariſienſe, & cuiuſlibet alterius loci potiri ſolent, in quibuſcunque præcipue creandis in qualibet facultate Doctoribus Magiſtris. Accitis interea inſignioribus, vndequaque Viris in omni facultate doctiſſimis, qui præcipuas tum legendo, tum differendo exorientis Studij partes egregiè ſuſtinerent, poſt ſublatam illam Dei beneficio grauem peſtilentię corruptionem, quæ eodem tempore cum magno totius Italiæ diſcrimine contigerat octauo Idus Nouembris Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum auſpicijs, præſertim D. Dionyſij Areopagitæ Studium Florentinum confluentibus hinc inde ex tota Italia Auditoribus frequentari cæptum eſt Franciſco Strozza Vexillifero, Equite prius ad Vngariæ Regem Oratore.

Vigebant tunc temporis Florentiæ non minus, quam alibi præter doctiſſimos in quauis facultate tam Eccleſiaſticæ, & Clericalis, quam Regularis, ſeu Monaſticę Profeſſionis viros sacrorum Mendicantium Ordines SS. Dominici, Franciſci, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, in quibus Patres quam plurimi tum religioſis moribus, tum ſacra doctrina valde pollen-

* Villan. lib. 1. c. 8 Petrus Boninſign. lib 3. Hiſt. Scipio Ammirat lib. 10 Hiſt Fl.

lentes aderant, quorum ſane ſtudio, & opera Florentinum Gymnaſium in dies magis, ac magis vires in Scholaſticis præcipue diſputationibus augere vehementer poſſet. Aderat & ibi Præcipuus Ordo Seruorum ex intimis quodammodo Florentinorum præcordijs, nimirum præcipuis ſeptem præſtantiſſimis Ciuibus D. Virgine Dei Matre ſoſpitante prognatus, qui, & auitæ nobilitatis, & ſtudioſæ profeſſionis non immemor Viros, & ipſe præclaros, & doctos illico peperit, qui exorienti Academiæ non paruas literarum ſuppetias adhibuere. Senſim igitur non ſecus ac ex aptiſſimis membris vegeto, elegantique compacto corpore doctiſſimorum Virorum, & præcipuè Religioſorum magno interim gliſcente numero factum eſt, vt altero iam ſubſequente anno MCCCXLIX. ſacrorum Magiſtrorum Vniuerſitas, veluti Florentiſſimus ex ipſius Academiæ vtero germen in lucem Dei auxilio prodiret.

Memoranda ſiquidem illa alboque huic Theologorum Cœtui ſignanda Lapillo dies affulſit quinto Idus Decembris quando huius Almæ VNIVERSITATIS Natalitia plauſibili totius Reip. Florentinæ acclamatione in ſacra maiori Æde celebrata fuerunt; In cuius profectò veritatis atteſtatione præſtat verba Matthæi Villanij * Monumentorum illius æui grauiſſimi Authoris referre dicentis: *Priuilegiorum vigore, quibus noſtra Ciuitas à Summo Pontifice Clemente Sexto donata fuit, vnum illud non prætereundum, quòd qui in Studio Florentino profeciſſent, dignique haberentur vt Magiſtralem Sacræ Theologiæ honorem aſſequi poſſent, ij certè Pontificio iure Magiſtri declararentur, atque hinc factum eſt, vt die 9. Decembris prædicti Anni in Eccleſia Sanctæ Reparatæ frequenti doctiſſimorum hominum conuentu, & populi concurſu publicè initiaretur, ac decora Magiſtratus diuinæ Theologiæ ſuſciperet admodum R. P. F. Franciſcus Blanco zzi de Nerlis Eremitanæ familiæ S. Auguſtini Alumnus, qui cum primus omnium Pontificio illo priuilegio noua Theologorum Vniuerſitatis potiretur, ex Senatus conſulto fuit decretum, vt dum hæc in ſacra Æde agerentur, Tympanum, quo ſoleret Senatus conuocari vna cum*

B *alijs*

* lib. 9. cap. 58.

alijs eiuſdem Palatij, & maioris Eccleſiæ Campanis, veluti in quacunque Vrbis publica congratulatione, ſeù gratiarum actione aſſolet, pulſaretur; Quin & DD. Priores Reip. vnà cum Collegijs, Magiſtratibus, Vniuerſoq; Senatu huiuſcemodi celebritatis (quod re vera honorificum, ac perpetuò memorandum fuit) ſumma omniū alacritate interfuerunt. Hæc ferè ad verbum Villanius. Vnde luce clarius enitent huius Vniuerſitatis præclara Primordia.

Paucis exinde intercedentibus annis cum Florentinam Eccleſiā * regeret magnus ille Antiſtes Petrus Corſinius eiuſdem Studij, & Vniuerſitatis perpetuus ex indulto Pontificis Moderator,& Cancellarius ampla tunc Legatione pro Vrbano Papa Quinto (antequam ad Cardinalatus dignitatem promoueretur) apud Carolum Quartum Imperatorem Pragæ fungebatur: in quo munere obeundo, vſque adeo Imperatoris animum ſibi conciliauit, & gratiam inijt, vt præter alios fauores, Bullam illam verè Auream ampliſſimorum Priuilegiorum conſequi mereretur, quibus poſtmodum Epiſcopalis Florentina Dignitas valde præfulſit honoribus aucta: Inter alia vero eiuſdem Indulti vnum illud pro hac Vniuerſitate nullo modo videtur ſilentio inuoluendum, quod ſcilicet Antiſtiti Florentino tamquam & Studij, & huius Vniuerſitatis ſuperiori Præfecto Viri in Sacra Theologia Magiſtri deputarentur, & ſemper adeſſe deberent, quorum conſilio, ac ſuffragijs, illi prius probarentur idonei, qui fuiſſent poſtmodum per eundem ad Doctoratus dignitatē admittendi, & per alterum ex ijſdem Magiſtris promouendi. Ex quibus liquido conſtat Florentinam Vniuerſitatem primū in ſuo proprio gymnaſio progenitam, & enutritam: Mox Apoſt. munimine auctam; Deinde plauſibili Reip. Flor. patrocinio receptam, ac tādem Imperiali fauore per idem Diploma Pragæ datum quarto nonas Ian. 1364. magis, ac magis fuiſſe roboratam, quod eſt ſequentis tenoris.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus Quartus, diuina fauente clementia, Romanus Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

In

* Ex libro priuileg. Archiep.

In eminentia dignitatis Cæſareæ diſponente Domino conſtituti Romanum feliciter gubernare ſperamus Imperium, & grata nobis proſperitatis compendia prouenire, dum aliquid, vel nouum concedimus, vel conceſſum ad deuotorum noſtrorum inſtantiam renouamus, per quod diuerſarum facultatum, & præſertim iuris humani, & diuini notitia habeatur. Sane venerabilis Petrus Florentinus Epiſcopus Princeps, & deuotus noſter dilectus, per ſanctiſſ. in Chriſto Patrem, & D. N. D. Vrbanum Papam V. Summ. Pont. in Eccleſia Romanæ legationibus nuper ad noſtri culminis præſentiam deſtinatus. Poſtquam omnia per ipſum Dominum noſtrum Papam ſibi iniuncta maieſtati noſtræ propoſuiſſet tam legaliter, quam prudenter, Ciuitatis Florentiæ, & Eccleſiæ Florentinæ non immemor, deuotione congrua Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit, quatenus tam ad honorem Eccleſiæ ſuę præfatæ, quam Ciuit. Flor., quam Deus multarum virtutum prærogatiua dotauit, studiũ, quod inibi viget etiam ad ſacri ſplendorem Imperij, auctoritate ſacri Imperij erigere dignaremur. Hinc eſt quod precibus prædicti Florent. Epiſc. fauorabiliter annuentes, præfatæ Eccleſiæ ſuæ, & Ciuit. Flor. ac eius Communi, generale perpetuum, atque generoſum ſtudij generalis priuilegium auctoritate Imperiali damus, & concedimus liberalitate munifica, tenore præſentium ex certa ſcientia, ac donamus, decernentes, ac edicto Imperiali præſenti valituro perpetuo, de Imperatoriæ poteſtatis plenitudine ſtatuentes, vt in ipſa Ciuitate Florentina ſtudium perpetuum ſit, & habeatur in ſacra Pagina, in Iure ciuili, & canonico, ac Medicina, Philoſophia, Logica, & Grammatica, ac quauis alia licita facultate, poſſintque omnes, & ſinguli Doctores, & Magiſtri pro Communi Florent. ordinandi, ac deputandi in Ciuitate præd. Florent., vtpote in ſtudio generali ſolemniter, & publicè in memoratis facultatibus legere, & docere. Verum ſi qui fuerint, qui proceſſu temporis adeo profecerint, quod in aliqua ſcientiarum, ſeu facultatum præmiſſarum ad magiſtery, ſeu Doctoratus dignitatem, & titulum deſiderauerint promoueri, hæc noſtra Imperiali auctoritate committimus Epiſc. Florent., qui eſt, & qui erit pro tempore, quem ſuperiorem ſtudii ordinamus, quatenus per ſe, vel alium vocatis Magiſtri, vel

Doctoribus ſcient.æ, ſeu facultati, in qua fuerit ad Doctoratus, ſeu Magiſterij promouendus honorem, de quibus ſibi videbitur receptus ab eis, qui dignos approbabant, ac ſecutos tenebunt, ſolemniter illos diligenter examinet more generalium ſtudiorum, ac taliter examinatis det licentiam publice in eadem ſcientia, & facultate legendi, docendi, ac regendi Florentiæ, & vbique locorum, cathedrarum, ac alia magiſterij, & doctoratus inſignia ipſis more ſolito concedendo. Quę omnia ſede Epiſcopali vacante, committimus Capitulo Eccl. Flor., quod per ſe, vel per alium præmiſſa ſimiliter exequatur. Cæterum vt ſcholares, & ſtudentes in dicta Ciuit. Florent. tanto valeant ſtudio vacare liberius, quanto à quarumlibet moleſtiarum impetu liberati, & vberiori fuerint libertate de Imperatoria liberalitate fulciti, de innata nobis clementia, rectores, doctores, ſcholares, ſeu ſtudentes ſtudij Florent. præd., eorumq; vniuerſos, & ſingulos familiares, & miniſtros, necnon domos, & ſcholas in noſtram, & ſacri Rom. Imperij protectionem, tutelam, & defenſionem recipimus ſpecialem, eoſq; omnibus, & ſingulis priuilegijs, & libertatibus, gratijs, immunitatibus, & indultis, quibus aliorũ ſtudiorum generalium rectores, doctores, ſcholares, ſeu ſtudentes, eorumq; miniſtri, domus, & ſcholæ diuorum Imperatorum, & Regum Romanorum prædeceſſorum noſtrorum largiflua conceſſione, ſeu laudabilium conſuetudinum inductione frui, & gaudere ſunt ſoliti, de plenitudine poteſtatis noſtræ Imperatoriæ, ex certa ſcientia vti, & perfrui decernimus perpetuis temporibus, & gaudere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis, & donationis paginam infringere, aut ei quouis auſu temerario contraire. Si quis contra tenorem pręſentis indulti quicquam attentare præſumpſerit, indignationem noſtram Imperialem, & pœnam centum marcharum auri optimi componendarum ſe nouerit incurſurum, quarũ medietas fiſco noſtro Imperiali, reliqua medietas Epiſcopo Florent. ſeu Ciuitati Florent., ac iniuriam paſſorum vſibus veniat applicanda. Decernentes nihilominus ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus a quoquam contra prædicta, vel aliquid pręḋictorum quicquam fuerit attentatum.

Locus ✠ Signi.

Te-

Teſtes huius rei ſunt infraſcripti, videlicet.

Sereniſs. Princeps D. VVoldmar Rex Daciæ.

Rodulphus Dux Saxoniæ sacri Romani Imperii Archimareſciallus, & Princeps Elector.

Venerabilis Arneſtus Pragen. Archiep.

Ioannes Luthonius sacræ Imperialis Aulæ Cancellarius.

Ioannes Olmucenſis, Marquardus Auguſtanæ, Petrus Curien. Epiſc.

Illuſtres Ioannes Marchio Morauiæ, Bolco Svvrdinen. Baccium senior Steſertinenſis, Balthaſar Brunſvvicenſis, Spriziemslaus Teſchinenſis, Hennignicen. Duces ſpectabiles.

Ioannes Burgramus Magdemburgenſis magiſter curiæ noſtræ, & Bertoldus de Hemeinbg. comes, necnon Nobiles, Timo de Boldriz, & Haſto de Suerecum magiſtri cameræ, Henricus Cigelhem magiſter Coquinæ noſtræ, & Rodulphus de Varcha, & alij quamplures Principes, Nobiles, & fideles præſentium ſub Imperialis Maieſtatis noſtræ sigillo teſtimonio harum.

*Datum Pragæ anno Domini milleſimo treceteſimo ſexageſimo quarto, indictione ſecunda, 4. non. Ianuarij, Regnorum noſtrorum anno decimottauo, Imperij vero nono.**

Nouo interea, ac recentiore ſuccedente æuo anno Domini 1436 Eugenius IV. Summ. Pont. inter præcipua facinora, quibus Vrbem Florent. tamquam fidiſſimum ſuarum ærumnarum effugium agnoſcens, amplioribus priuilegijs exornare inſtituit. Vnum illud fuit Vniuerſitatem Theologorũ prope collapſam, diuerſaq; bellorum, peſtilentiarum, & id genus diſcriminum varietate fere obrutam valida manu rurſus erigere, fauoribus confouere, legibus reformare, & in priſtinum ſplendorem denuo reſtituere, id potiſſimum declarantibus eiuſdem literis Florentiæ datis, quarum adhuc fragmenta quædam exemplata (vt fert rerum omnium carioſa, & fœda temporis iniuria) inter alia eiuſdem Vniuerſitatis monumenta apparent. * Non minoris poſtremo præſidii ad eandem Theologorum ſobolem in ſuo robore conſeruandam fuit præcipua Leonis X. * Summi Pontificis ne dum plena poteſtas, verum etiam naturalis quæ-

dam

Vghell to. 3. Ital. sac. Ex Reg. rub. pergam. Vniuerſ. Ex lib. perg. priuil. Archiep. in princ. vbi conſt *Etſi fides Apoſt.*

dam erga Patriam amica propenſio, quam per literas Pontificias humaniſſime demonſtrauit. Quippe qui ſtudioſa quadam à teneris annis conſuetudine in Academia Laurentij Patris enutritus, vehementerq; delectatus hanc Florentinam Eccleſiam, hoc Studium, hanc Vniuerſitatem cum tota Repub. miro quodam patrio amore ſemper fuit proſecutus; Is igitur idem Summus Pont. anno Dom. 1515. cum Florentiæ ageret ad perpet. rei mem., non ad alicuius ſupplicationem, ſed propria animi beneficentia, & authoritate permotus omnes, & quaſcumque ampliſſimas pręfati Sereniſs. Caroli Imperatoris Immunitates, & priuilegia olim Florent. Epiſc. conceſſa rurſus approbare, & confirmare dignatus fuit Pontificijs literis ob hanc cauſam ad Iulium Medicem Nepotem S. R. E. Card. & Archiep. Flor. datis pridie Kal. Febr., quibus poſtmodum, quę iam obſoleta nimis, & antiquata, ac forte prętermiſſa Iura videri potuiſſent, in priſtinum nitorem, & robur reſtitui, ac denuo in eiuſdem Archiepiſcopatus, & Vniuerſitis decorem, & commodum renouari viſa ſunt, ſicut liquet ex ipſa Bulla, quę ſequitur.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memor.

Regiminis vniuerſalis Eccleſiæ, cui diſponente Domino præſidemus, cura nos admonet, & inducit, vt ad ea, per quę ſingulis cathedralibus Eccleſiis, pręſertim Metropolitanis inſignibus, & earum Prælatis venuſtas, & decor accreſcat, & perſonarum ad illas pro tempore recurrentium commoditatibus conſuli poſſit, fauorabiliter intendamus, & ijs, quę propterea ex Imperiali dicuntur indulgentia, proceſſione, & Apoſtolico ſubnixa ſubſidio perpetua firmitate ſubſiſtant, noſtræ confirmationis robur libenter adycimus, alioſq; deſuper prouidemus, prout locorum, & perſonarum qualitatibus bene penſatis in Domino arbitramur ſalubriter expedire. Accepimus ſiquidem, quod inclytæ recordationis Carolus IV. Rom. Imper. bonæ memoriæ Petrum Epiſc. Florent., tunc apud eum legationis officio pro ſede Apoſt. fungentem, ac ipſius Petri Epiſcopi ſucceſſores Epiſcopos Florent. pro tempore exiſtentes Rom. Imperii Principes eſſe declarauit, & de nouo conſtituit, & fecit, ac dignitatibus, & honoribus omnibus Imperialium principium communiuit: & decreuit,

vt omnia libere exercere, & illis vti poſſint, quæ dicti Caroli principatus dignitas requirebat, ac eiſdem Petro, & eiuſdem ſucceſſoribus conceſſit, quod in tota Thuſcia omnes criminales, & ciuiles, quæ inter quoſcumque verterentur, necnon appellationum quarumlibet, quæ ad dicti Caroli curiam deferendę eſſent, cauſas recipere, audire, & examinare poſſent, ac fine debito terminare, eaſque, & earum quaslibet vni, & pluribus, ſicut Petro Epiſcopo, & ſucceſſoribus prædictis placuerit, delegare, & per totum Romanum Imperium iudices, tabelliones, & notarios publicos conſtituere, ordinare, facere, & curare, tutores, curatores, & mundualdos dare in caſibus opportunis, naturales filios, ſpurios, nothos, inceſtuoſos, manſores, ſiue adulterinos, & ex quocumque damnato coitu natos, legitimos conſtituere, & omnia legitima reintegrare, & præd. geniturę maculam abolere, itaut tanquam legitimi, & de legitimo matrimonio procreati, in bonis paternis, & maternis, propriis, & feudalibus, acquiſitis, & acquirendis in teſtamento, & ab inteſtato ſuccederent agnatis, & cognatis parentum ſuorum, in quouis gradu conſtitutis, agnati, & cognati efficerentur, & recipere ipſi ad omnes actus publicos, & ciuiles, officia, & honores, ſi ſe caſus ingereret, admitterentur, & in omnibus aliis ſuam valeant exequi actionem, obiectione prolis illicitę quieſcente, libertatemq; etiam concedere, & donare eodem modo poſſent, & valeant, ac quoſcumq; nobiles, & plebeios humiles milites facere, & ad militare decus honorabiliter promouere, ac Petri Epiſcopi, & illius ſucceſſorum præd. familiares impune deferre poſſent quæcunque arma offenſibilia, & defenſibilia per d. Imperium, & gauderent illis priuilegiis, gratiis, & immunitatibus, quibus gaudebant cęteri familiares d. Caroli Imperat. de quibus omnibus, & ſingulis d. Petrum Epiſc. nomine Eccleſię Florent. de nouo inueſtiuit, itaut omnibus, & ſingulis prædictis gratiis, honoribus, & dignitatibus, Petrus Epiſcopus, & ſucceſſores ſui præfati vti, & exercere, ac exequi valeant per d. Imperium libere, & ſine contradictione, & moleſtia perpetuo decreuit per quaſdam, & alias ſuas literas d. Petri Epiſcopi ſupplicationibus inclinatus Eccleſiæ, & dilectis filiis communi Florent., & illorum decus generale perpetuum ſtudii generalis priuilegium auctoritate Imperiali

lar-

largitus eſt decernens, & de Imperatoria poteſtatis plenitudine ſtatuens, vt ex tunc de cætero in perpetuum ſtudium generale in ciuitate Florentina haberetur, & foret in ſacra Pagina in I.C. & ciuili, Medicina, Philoſophia, Logica, Grammatica, & quauis alia licita facultate, poſſentque omnes, & ſinguli doctores, & magiſtri per d. commune, ordinandi, & deputandi in ciuitate prædicta, vt pote in ſtudio generali ſolemniter, & publice in dictis facultatibus legere, & docere, & ſi qui forent, qui proceſſu temporis adeo proficerent, quod in aliqua facultatum earundem ad magiſterii, ſeu doctoratus, & titulum deſiderarent promoueri, eadem auctoritate conceſſit Petro, & pro tempore Epiſcopo exiſtenti Florentino præfato, quem ſuperiorem ſtudii huiuſmodi ordinauit, vt is per ſe, vel alium vocatis magiſtris, vel doctoribus facultatis, in qua quis foret ad doctoratus promouendus honorem, de quibus ſibi videretur, receptoq; ab eis, quod dignos approbarent, & ſecretum tenerent, ſolemniter iuramento illos diligenter examinaret more generalium ſtudiorum, ac talibus examinatis daret licentiam publicam in eadem facultate legendi, docendi, & regendi Florentiæ, & vbique locorum cathedram, et alia magiſterii, ac rectoratus inſignia ipſis more ſolito conferret. Quę omnia ſede Epiſcopali vacante commiſit dilectis filiis capitulo d. Eccleſ. qui per ſe, vel alium prędicta ſimiliter exequantur. Rectores verò, doctores, ſcholares, ſeu ſtudentes ſtudii Florentini prędicti, eorumq; vniuerſos, et ſingulos familiares, et miniſtros, necnon domos, et ſcholas in ſui, et ſacri Imperii protectionē, tutelam, et defenſionem ſpecialem recipit, eoſq; omnibus, et ſingulis priuilegiis, libertatibus, gratiis, immunitatibus, et indultis, quibus aliorum ſtudiorum generalium rectores, doctores, et ſcholares, ſeu ſtudentes, eorumq; miniſtri, domus, et ſcholæ Imperatorum, et Regum Romanorum prædeceſſorum ſuorum largiflua conceſſione, ſeu laudabilium conſuetudinum introductione frui, et gaudere erant ſoliti, et perfrui decreuit perpetuis temporibus, et gaudere, prout in ſingulis literis prædictis dicitur plenius contineri. Cum autem ſicut etiam accepimus licet dilectus filius noſter S. Mariæ in Domnica diaconus Cardinalis, qui Eccleſię Florent. ex diſpenſatione Apoſt. pręeſt, et prædeceſſores ſui Archiep. Flor., qui pro tempore fuerunt literarum Imperialium, vel etiam aliorum priuilegiorum etiam Apoſtolicorum vigore, aut

alias

alias à tanto tempore citra, de cuius initiis hominum memoria non extiſtit, ad doctoratus in vtroq; iure, & magiſterij Theologiæ, & artibus gradus promouere, & etiam vt à nonnullis in Poetica eruditione laurea inſignire, & poetarum numero aggregare, tabelliones Imperiali auctoritate creare, nothos, ſpurios, manſores, inceſtuoſos, & alios natalium defectum quomodolibet patientes etiam quoad hæreditarias, fideicommiſſarias, & alias bonorum ſucceſſiones, quæ legitimis, & naturalibus dumtaxat deferuntur, etiam non citatis iis, ad quos huiuſmodi ſucceſſiones alias pertinent, legitimare, ipſoſque ad iura naturæ, & natales legitimos, ac ſi de legitimo eſſent matrimonio geniti reſtituere, & ab eis omnem illegitimæ geniture maculam abolere conſueuerunt, fuerint qui in conſuetudinis huiuſmodi poſſeſſione, vel quaſi dictum tempus pacifice, et quiete, prout hodie ſunt, tamen quia de priuilegiis, quorum auctoritate forſan dicta conſuetudo non inducta, vel quia illa ſunt vetuſtate omnino conſumpta, vel incuria amiſſa, vel alias dilectus Iulius Cardinalis, et Archiep. docere non poteſt, et ſi quæ eorumdem priuilegiorũ extant, illa tineis, et carie ſunt prope exuſta, et facile peritura, dubitat idem Cardinalis, & Archiepiſc., ne ſuper huiuſmodi antiqua conſuetudinis vſu, & exercitio moleſtari poſſet tempore procedente. Nos igitur, qui ad ea, quæ in Eccleſiæ, & ciuitatis decus, & communitatis prædictorum honorem, & vtilitatem pertinent, eo cæteris libentius intendimus, quo in eadem ciuitate primum nobis effulſit dies, & in Eccleſia prædicta vix infantiam egreſſi, ſacris initiati fuimus, motu proprio, non ad dicti Iulij Card., vel alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ſingulas Caroli Imperat. literas prædictas, non tamen quoad facultatem legitimandi ad ſucceſſiones bonorum, niſi ſine præiudicio venientium ab inteſtato, auctoritate Apoſt. tenore præſentium approbamus, & confirmamus, præſentis ſcripti patrocinio communimus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ac etiam facultates præmiſſas, iuxta priuilegia, literas, & indulta imperialia, etiam quoad facultatem laureandi Poetas, & legitimandi habilitandi, vt præfertur, de nouo

concedimus, & potiori pro cautela dicto Iulio Cardin. & Archiep. quod ipſe, ſucceſſoreſq; ſui, qui pro tempore fuerint, & nunc de cætero in perpetuum doctoratus, & magiſterij gradus, & illorum inſignia in Theologia Iure Can. & C. ac artibus perſonis idoneis ad id per collegium doctorum Vniuerſit. ſtudij Floren. in facultate, in qua gradus conferendus pro tempore fuerit, vel etiam per ſex, aut octo ex eiſdem doctoribus, qui tamen gradum in aliqua Vniuerſitate ſtudij generalis cum rigore examinis ſint adepti, approbatis conferre, & in poetica eruditione peritos laurea inſignire, & poetarum laureatorum numero aggregare, ita ut ſic pro tempore ad doctoratus gradus promoti, & laurea huiuſmodi inſigniti, omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, prærogatiuis, honoribus, fauoribus, gratijs, & indultis, quibus alij in Bononienſi, Patauienſi, & Piſana ſtudiorum vniuerſitatibus ad tales gradus reſpectiue promoti, & dicta laurea inſigniti vtuntur, potiuntur, & gaudere, ac vti, potiri, & gaudere potuerunt, quomodolibet in futurum vtantur, potiantur, & gaudeant in omnibus, & per omnia, ac ſi aliqua ex dictis Vniuerſitat. gradus, & inſignia, ac lauream huiuſmodi accepiſſent, & cum quibuſuis defectum natalium, etiam ex monialibus, & de inceſtuoſo etiam in primo conſanguinitatis, affinitatis, vel cognationis ſpiritualis gradu, & alio quouis illicito, & damnato coitu parentibus, vt in eorum parentum, agnatorum, cognatorum, & aliorum bonis etiam in quibus iuxta ſtatuta municipalia non niſi, de legitimo matrimonio procreatis ſuccedere liceat, tam ex teſtamento etiam per viam fideicommiſſi, quam ab inteſtato, ſine tamen præiudicio ab inteſtato ſuccedere debentium eorundē ſuccedere liberè, & licitè poſſint, & valeant, ac alias eos ad omnes actus legitimos, & primæua naturæ iura, perinde ac ſi vere, & omni fictione ceſſante, de legitimo eſſent matrimonio procreati reſtituere, & reintegrare, abolereq; ab eis omnem inclytæ geniture maculā. Tabelliones quoque, & iudices ordinarios creare, ac eos per pennam, & calamare recepto ab eis de tabellionatus officio fideliter exercendo ſolito iuramento, liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem concedimus. & quoniam nobis de eorundem Iulij Cardin. & Archiep., ac prædeceſſorum poſſeſſione, vel quaſi conſuetudinis ſu-

pe-

perius enarrata publica fere omnino in hac ciuitate voce, & fama ſatis conſtat Iulium Card. & Archiep., ac eius ſucceſſores prædictos & quoſuis alios, quorum pro tempore interfuerit, ſeu eorum aliquē ad probandum, de cætero conſuetudinem huiuſmodi nequaquam teneri decernimus, ſed ad præmiſſorum fidem, & plenam probationem ſatis ſit præſentis conceſſionis indulti, & priuilegij tenorem inſpicere, non obſtantibus conſtitutionibus, conſuetudinibus, ordinationibus Apoſtol: ac Eccleſiæ, & ciuitatis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ dictus Carolus Imper. in ſingulis ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, conceſſionis, et decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Florentiæ, Anno Incarnat. Dom. milleſimo quingenteſimo decimo quinto, pridie Kalend. Februarij, Pontificatus noſtri anno tertio. *

In cuius quidem Bullę, atq; præpoſiti Imper. Diplomatis maius teſtimonium apponitur etiam quę ſequitur atteſtatio ex d. libro verbatim exſcripta fol. 50 à tergo.

Sebaſtianus Medices Prothon. Apoſt. I.V. Conſ. Florent. Eques D. Stephani, ac Illuſtriſs, et Reuer. D Alexandri Medices Dei, et Apoſt. Sedis gratia Archiep. Flor. in ſpiritualibus, et temporalibus Vicarius, et locum tenens Gen. Vniuerſis, et ſingulis, ad quos præſentes aduenerint ſalute in Domino præuia, fidem facimus, et atteſtamur vidiſſe quemdam librum magnificæ Academiæ Florent. in membranis ſcriptum, in quo à 1. vſq; ad cartas ſex deſcriptæ reperiuntur copiæ Priuilegiorum Caroli IV. Imperat. ſtudio gener. Ciuit. Flor. conceſſ., præterea Bullæ fel. rec. Leonis Papæ X. confirmantis, et approbantis dicta Priuilegia, quæ Priuilegia, et Bulla erant ſubſcripta à D. Ioſeph de Rembottis Ciue, et Notar. publ. Florent. tunc Cancell. Academiæ præd. ſub die 24. Martij 1560. aſſerente illa

* Vghell. Ital. sac, to. 3. Et Reg rub. Vniuerſ in fin.

copiari feciſſe quo ad priuilegia dicti Imperatoris ex vetuſto Archiepiſcopatus Florentia, et quoad Bullam ex eius originali cum ſigillo plumbeo in filo ſericeo impendenti more Rom. Cur., quæ omnia, et ſingula ad perpetuam rei memoriam in hac, et in cæteris ſex proximè præcedentibus cartis ex dicto Academiæ libro exemplari, et collationari fecimus, et per infraſcriptum Cancellarium noſtrum ſubſcribi, ſigilliq; Curiæ Archiepiſc. Florent. mandauimus impreſſione muniri. Dat. Florentiæ in Archiepiſc. Palatio die 3. Iunij 1579. Sebaſtianus Medices Vic. Floren. qui ſupra.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Roſſinus Curiæ Archiep. Flor. Canc. de mand.

Annum iam à ſuis primordijs explebat hæc Vniuerſitas octuageſimum ſupra centeſimum, quando ingruente iterum Florentiæ, bello, & rurſus peſtilentia graſſante anno 1428. literaria Toga armis, arma peſtiferę mortalitati vſque adeo cedere viſa ſunt, vt non minus res academica, quam publica colluctari, confundi, & periclitari cęperit, ac proinde ex tàm copioſo Magiſtrorum numero vix ſeptem Theologi è tantò naufragio ſuperſtites fuiſſe dicantur, In quibus tota tunc fuerit Vniuerſitas conſeruata. His etiam calamitatibus acceſſit, vt non multo poſt Floren. Gymnaſium commigraret Piſas, vbi quoq; erecta fuerat Academia anno 1339. teſte Volaterrano Geogr. lib. 5., Andrea Mendo de Iure Acad. lib. 2. q. 9. probante Benedicto 12. Sum. Pontif. ità vt ob id ex duobus ſtudijs vnum veluti, non ſine maxima Flor. Vniuerſit. iactura, quod tunc Viri docti, aut diſcedere, aut otioſe langueſcere cogerentur, & omnis fere erudita ſuppelex cum tota Academia ſimul diſſipari videretur.

Verũ (vt eſt ęſtuaria rerũ viciſſitudo, quod ipſa quoq; dies quãdoq; parẽs, quandoq; nouerca ſit) nõ diù permiſit optimus ille rerũ Molitor, ac prouiſor Deus pręclarũ hunc Theologorũ Cœtũ radicitus conuelli, quin & S. DIONYSIO eius Tutelari intercedente, Diuaq; Dei Matre ſemper Virgine protegente factũ, vt Anno Dom. 1565. * Pater Zacharias ex Ordine Seruorum Vir

* Ex Reg rub. Vniuerſ.

Vir cum doctrina, tum moribus inſignis, atq; in rebus gerendis omnigena prudentia verſatus, cum eo tempore ſui Ordinis Genaralis Adminiſtrator eſſet, difficilem hanc Prouinciã propè cadentis Vniuerſitatis reſtituendæ ſuſciperet, accitis, blandèq; inuitatis vndequaque ex ſingulis Patrum Mendicantium Familijs quotquot aderant Doctoribus, & Magiſtris, quibus æquè aſſerentibus, non fuit difficile præſentem ſuadere iacturã, & viciſſim opportune adhibere remedium pro rurſus sacra erigenda Vniuerſitate in qua illico certatim 18. Kal. Iulij Patres ad numerum 29. denuo conſcripti, omnes vnanimi conſenſu eundem P. Zachariam Vniuerſitatis Conſeruatorem acclamauerunt, & pro illo tempore Decanum Collegij omnium calculis declararunt. Hic vero Pater, vt prudētiſſimè officium pro dignitate, & ratione ſubiret, ſtatim de antiquis veterum Patrũ ſcitis, Statutiſq; iterum renouandis cogitare non deſtitit; Cura hæc quatuor RR. PP. Magiſtris demandata fuit, nimirum Alberto Partio Carmelitæ, Michaelangelo Naldinio Seruitæ, Ægidio Bonſio Auguſtiniano, & Clementi Thomaſino Minoritę: Hi quatuor grauiſſimi Theologi ſtatim vnanimi conſenſu ſex, & quadraginta Capitibus ex antiquioribus Decretis in vnum congeſtis, rem omnem per Vniuerſitatem probatam ad optatiſſimum finem perduxerunt, vnde & Vniuerſitas reſtituta, & ſuis legibus iterum roborata refulſit.

Vnum illud his temporibus iamdudum intermiſſum reſtituēdum videbatur ad Vniuerſitatis, & totius Theologiæ maieſtatem cohoneſtandam, quod & eis maximum ſplendorem, & intuentibus imitandæ virtutis calcaria adhibere poſſet, id erat in publicis cõgregationibus Inſignia magiſtralia, cum per D. Decanum, tum per alios Magiſtros, & Doctores quoſcunq; geſtare. Nimirum ſericeam Teniam, ſuper humerum D. Decani, ſingulos Doctores Theologale Caputium, ſeu Biretum, & Anulum aureum cum Chyrotecis gerere; Viatorem cũ ſimilibus Indumentis cum argenteo faſce præeuntem habere, & id genus cætera ornamenta emeritæ hominum virtuti non minus opportuna, quam debita. Huic reſtituendo Vniuerſitatis ſplendori opor-

portunè tandem ſua prudentia occurrere non deſtitit An. Do. 1590. R. Mag. Thomas Boninſeghius Ord. Prædicat. Vir planè de re literaria optimè meritus: Hic porrò cum eſſet tunc Decanus Collegij, rurſus Statutis Vniuerſitatis diligenter inſpectis, & de Magiſtrorum quorundam conſilio tota approbante Vniuerſitate eadem, paucis vel ſuperadditis, vel immutatis in ſericeo Libro pergameno fibulis argenteis ornato, quod illum publicè in manibus deberet geſtare D. Decanus in quatuordecim capita ſummam illorum Decretorum redegit, & maximũ huic Vniuerſitati decorem publicum alias ſiuè intermiſſum, ſiuè neglectum reſtituit. Poſtremò tandem (quod ſemper rerum omnium per vrgens, & varius ſit vſus, & quo frequentius repetita ſemper melior habita fuerit poſterior cogitatio) optimo conſilio decretum fuit, An. Dom. 1613. & de Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Archiep. auctoritate ſtatutum de eligendo quot annis vno ex Magiſtris eiuſdem Collegij in Secretarium, & Procancellarium Vniuerſitatis, cuius præcipuum inter alia munus eſſet D. Decano, & Vniuerſitati in Congregationibus ſemper aſſiſtere, & ea omnia exequi, quæ in ſequentibus declarata erunt. Quam ob cauſam præter cæteras vrgentes rationes Adm. R. P. & D. Mag. Fidelis à Puppio Vallumbroſ. Familiæ Monachus, & SS. Trinitatis Prior, necnon eiuſdem Vniuerſit. Decanus ſingulari cum prudentia, tum doctrina propemodũ inſignitus, hoc anno 1614. de huiuſcemodi Monumentis Viris præclaris, & Statutis rurſus colligendis, examinandis, & imprimendis, hanc eandem Vniuerſitatem communibus ſuffragijs vltro aſſentientem, & ei liberam ſuper his facultatem impartientem conſuluit.

Hoc vero Vniuerſitatis initum conſilium mirifice nuper laudauit, & ſua authoritate probauit præfatus D. Archiep. eiuſdem Vniuerſit. conſultiſſimus Antiſtes. At ne prædictus D. Decanus ſuæ magis quam aliorum prudentię in his peragendis videretur inniti, infraſcriptos ſibi tamquam conſiliarios, quorum iudicio res matura deliberatione perfici poſſet, adhibuit, quorum nomina ſunt hæc.

R. P.

R. P. Mag. Archangelus Gianius Ord. Seruorum.
R. P. Mag. Alexander Ferrinius Ord. Minorum.
R. P. Mag. Ambroſius de Ambroſijs Carmelita,
R. P. Mag. Marcus Antonius Lanciottus Ord. Minor.
R. P. Mag. Leonardus Coqueau Aurelianenſis Gallus Ord. Erem.
R. P. Mag. Nicolaus Giglius Carmelita.
R. P. Mag. Stephanus Gallus Ord. Eremitanum.
R. P. Mag. Nicolaus Sermartellius Ord. Prædicat.
R. P. Mag. Michael de Arrighis Ord. Prædicat.
R. D. Mag. Vincentius Rondinellius Canonicus, & Pœnitentiarius Cathed. Eccleſiæ.
R. D. Mag. N.N.
R. P. Mag. Siluerius Maſſeſius Ord. Seruor.

Quibus adhibitis ad optatum perductum eſt feliciter opus iam prudentiſſime aggreſſum, modo, & forma, quæ ex ſecuta impreſſione apparet firmantibus pariter in calce libri præfatas Conſtitutiones quindecim comprehenſas capitibus Anno, & die ſupradictis in ſequentem modum, Patribus Magiſtris, quibus tunc temporis noſtrum conſtabat Collegium, Sigillo magno conſueto Vniuerſitatis adiuncto.

Ita eſt Mag. D. Fidelis de Corſettis Monachus Vallis Vmbroſæ. & Vniuerſitatis Florent. Decanus.

Ita eſt F. Antonius Ord. Min. Conuent.
F. Romulus Ord. Seru.
F. Iulius Ord. Seru.
F. Lelius Ord. Seru.
F. Philippus Alexandrinus Ord. Seru.
F. Aurelius Ord. Carmel.
F. Archangelus Ord. Seru. } Mag. V. F.
F. Hieronymus Ord. Seru.
F. Alexander Ord. Min. Conu.
F. Dionyſius Ord. Seru.
F. Ioannes de Prato Ord. Seru.
F. Antonius Zenobius Ord. Seru.
F. Ambroſius Ord. Carmel.

F. Lau-

F. Laurentius Ord. Seru.
* F. Eliſeus Ord. Seru.
F. Vincentius Ord. Seru.
F. Calliſtus Ord. Seru.
F. Philippus Maria Ord. Seru.
F. Philippus de Cortona Ord. Seru.
* F. Leonardus Aurelian. Gallus Or. Er.
F. Seraphinus Ord. Seru.
* F. Marcus Antonius Ord. Min. Conu.
* F. Petrus Ord. Seru.
* F. Nicolaus Ord. Carmel.
F. Leonardus Ord. Min. Conu.
F. Stephanus Gallus Ord. Erem.
* F. Petrus Piſtorienſis Ord. Min. Conu.
F. Andreas Ord. Min. Conu.
F. Auguſtinus Ord. Seru. } Mag. V. F,
F. Nicolaus Ord. Prædic.
F. Michael Ord. Prædic.
F. Auguſtinus Teutonicus Ord. Erem.
* D. Fidelis Monachus Vallis Vmb.
F. Hieremias Ord. Min. Conu.
D. Vinc. de Rondinellis Can. & Pęnit.
D. NN.
F. Silueſter Hiſpanus Ord. Erem.
* F. Ferdinandus Ord. Seru.
* F. Syluerius Ord. Seru.
F. Albertus Ord. Seru.
F. Ioannes Ord. Seru.
* F. Rupertus Ord. Seru.
F. Iulius Antonius Ord. Seru.
* F. Adrianus Ord. Seru.
* F. Paulus Ord. Seru.

Ego

ANTIQV. VNIVER.



FLOREN. SIGILL.

Ego Fr. Marcus Antonius Lanciottus ex Maſſa Mariĉtimæ Ord. Min. Conuent. S. Crucis profeſſus. eiuſdemq; Vniuerſit. Magiſter, & Procancellarius hac mea publicæ atteſtationis ſubſcriptione affirmo præfatorum RR. PP. Magiſtrorum alios in publica Congregatione die 6. Octob. 1614. in Monaſterio SS. Trinitatis, Præſentes qui aſteriſco * obſignantur, ſingula imprimenda ſecretis ſuffragijs approbaſſe; Alios verò abſentes communi conſenſu comprobaſſe.

F. Marcus Antonius Lanciottus qui ſupra.

OMnibus his demum adijciendũ remanet anno Dom. ab eius Incarnat. 1639. ſub die 24. Ianuar. aliquot emanaſſe declarationes quarundam pręfataru m Conſtitutionum approbatas, authoritateq; firmatas eodem die, & anno ab Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Florentino Archiep. D. Petro Nicolino præmiſſo beneplacito, voce, ac voto ſingulorum PP. Magiſtr., quibus eaſdem propoſuit Reu. Ad. D. Adrianus del Beccuto Vallumbroſ. tunc Collegij noſtri meritiſſimus Decanus, quæ quidem prælo commiſſæ fuere Piſtorij 1630. Typis Petri Antonij Fortunati, vt videre eſt, Secretario noſtræ eiuſdem Flor. Vniuerſit. Presb. D. Hieronymo Vincentij de Roſatis Proton. Apoſt. ac Doct., & ſucceſſiuè etiam aliqua fuere ſancita, nec non decreta, vel pro maiori eiuſdem Vniuerſitatis profectu, vel ad ali-

quas dirimendas difficultates, vel demum pro pace, concordiaq; in dies magis magiſq; ſeruanda, vt par eſt, inter Collegas Doctores, ac Magiſtros, quæ itidem omnia à maiori noſtri eiuſdem Collegij parte iam decreta, à Reuerendiſs. D. D. Vicarijs Gener. Archiep. Flor. pro tempore approbata remanſiſſe, ex eiuſdem noſtræ Vniuerſit. Regiſtris, nec non ex autenticis, ac legitimis actis manifeſtum eſt, atq; apertiſſimè conſtat.

Inter quæ ſunt ea, quæ fuere ſancita præcipuè quoad præcedentiã permittendam, ac concedendam Reuerendiſs. D. Canonicis Florent. Metropol. Doctoribus in noſtra aggregatis, vel incorporatis Vniuerſitate, ſaluis ſemper diſtributionibus pecuniæ, quæ ſolis ſenioribus Patribus, & Doctoribus debent perueníre, nec non ſemper iure, loco, præcedentia, & authoritate D. Decani pro tẽpore exiſtentis, vel eius gerentis vices. Quod quidem totum pro obſeruantia fuit ab omnibus. & ſingulis Patribus Doctoribus noſtræ eiuſdem almæ Vniuerſ. propria manu ſubſcriptum, & poſtmodum ab Illuſtriſs. ac Reuer. D. Vincentio de Bardis ex Comitibus Vernij Vicario Gener. firmatũ, ſigilloq; Archiep. munitum die 17. Septemb. 1665. nomine, & vice Illuſtriſs. & Reuer. D. D. Franciſci de Nerlis Dei, & Apoſt. Sedis gratia Archiep. Flor. Vniuerſit. eiuſdem Præſidentis, & Præfecti, Decano Adm. R. P. D. Edmundo Perinellio de Ferraria Ciſterc. Monaco Monaſterij Florent. S. M. Magdalenæ tunc Priore, vt originaliter in libro Vniuerſit. obſignato litera B. fol. 81. & in libro pergameno antiquarum Conſtitutionum in duobus ipſi annexis papiris poteſt videri; Nec non in ipſa Curia Archiep. promittentibus quoque eiuſdem Decreti obſeruantiam DD. ſex Canonicis Doctoribus eiuſdem noſtri Collegij ibidem nominatis illudq; propria manu firmantibus.

Accedit deinde Decretum Cedro dignum omniq; tempore celebrandum anno 1672. emanatum ſub die 9. Septemb. atq; ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Alexandro Puccio Archipresbit. ac Vic. Gener. Florent. confirmatum de portando doctoralem habitum à PP. Magiſtris noſtræ Florent. Vniuerſit. iuxta ritum almarum Vniuerſitatum Pariſienſis, & Bononienſis, ac aliarum

qua-

quarum ipſa potitur priuilegijs exbenigniſſima conceſſione Caroli IV, Imperat. vt ex eiuſdem Diplomate ſuperius poſito liquet. Cuius quidem præclariſsimæ rei in cauſa profectò fuit Adm. R. P. Mag. Franciſcus Benfactus Viennenſis ſacri Ord. Eremitarum S. Auguſt. meretiſs. Decanus qui conſultis Patribus Collegij non ſemel, præhabitis conſenſu, & beneplacito Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D Franciſci de Nerlis Dei, & Apoſt. Sedis gratia Archiep. Florent. & Nuncij Apoſt. apud Chriſtianiſs. Regem Galliarum, necnon Sereniſs. Magni Ducis Etruriȩ Sexti Coſmi III. feliciter regnantis humaniſſimo fauore, ad æternam rei memoriam procurauit vſum, & exercitium deportandi prædictum habitum Doctoralem, ſeu Mozzettam ſericeam violacei coloris deforis, intus verò ſuppoſito colori rubeo ſericeo, vndequaq; pellibus exornatam albis, vti eam deportant Doctores Vniuerſit. Pariſienſis, & Bononienſis; Quarè deliberauerunt, firmauerunt, ſtatuerunt, decreuerunt, PP. Magiſtri in Conu. S. Spiritus de Florentia de eiuſdem mandato coadunati, & prò deliberato, firmato, ſtatuto, decreto, & determinato haberi voluerunt vt deinceps, & in poſterum in omnibus, & ſingulis functionibus, proceſſionibus, ſeſſionibus, diſputationibus, circulis, in laureandis, ſiue aggregandis Doctoribus, in Anniuerſarij celebratione, in noui Decani electione, in funeralibus, & in quocumq; loco vbi tota Vniuerſitas noſtra cum P. Decano fuerit conuocata, & congregata; Omnes PP. Magiſtri nemine excempto ſub pȩnis amiſſionis diſtributionis, ſeù participationis pro illa vice non ſolum pecuniȩ, ſed etiam Chyrotecarum, & priuationis loci, in d. Vniuerſ. deferre teneantur prȩnominatum deſcriptum habitum nec aliter, nec alio modo, aliàs nòn eſſet habitus vniformis, cum hac ſola exceptione, & declaratione, quod Illuſtriſs. & Reuerendiſs. DD. Epiſcopi, & DD. Canonici Metrop. Florent. laureati, & incorporati in noſtra eadem Vniuerſ., ſi prȩdictis intereſſe functionibus voluerint, illi in habitu proprio Epiſcopali, ipſi verò in habitu Canonicali (niſi habitu Theologali, vt omnes alij Doctores Vniuerſ. Florent. vtantur) incedere poſſint, & debeant.

D 2

ant. Cuius Decreti tam nobilis, ac memorandi, præhabito conſenſu in ſecreto ſcrutinio 35. PP. Doctorum qui in eodem nominantur, tribus abſentibus exceptis, nec non præmiſſa approbatione Archiepiſcopali, vt ſupra, per extenſum non ponuntur hic verba, tum breuitatis gratia, tum etiam vt imitemur alios nobis antiquiores qui ita fecere, vt patet ex ſupradictis de alijs inſignijs Magiſtralibus, & ſerica Tenia Decanali pro cohoneſtanda Vniuerſit. & totius Theologię maieſtate, vt ibi dicitur, reſtitutis; eſto deſcriptus doctoralis habitus, ſeu mozzetta prædicta de nouo inſtituta priuſq; votis omnibus ferè omnium PP. Magiſtr. anno 1653. exoptata, & non tunc obtenta tempore Decanatus Ad.R. P.M. Auguſtini Bacharelli Ord. Seruor. tanquam ſapientiæ Theologicæ paludamentum, vtriuſq; complementum re vera videatur. Dentur itaq; debitæ laudes, & grates tanto Viro P.Mag. Benfacti prædicto de tam ſingulari beneſacto omnibuſq; quorum ad ſcopum hunc vota collimarunt, & opera.

Tandem omiſſis cæteris decretis, & ſtatutis non tanti momenti diuerſis emanatis temporibus ab anno 1614 quæ tamen in conſtitutionum corpore ſingillatim ponentur, referendo diem, & annum in marginalibus, vt ſic commodè poſsint inueniri in ipſis noſtræ Vniuerſ. Codicibus à Procancellarijs pro tempore adamuſſim adnotatis, denunciatur omnibus, & ſingulis fuiſſe iam ablatam penitus omnem æquiuocationem, quæ nonnullis eſſe videbatur circa illa verba in calce capitis quinti de Anniverſ. Celebr. *Quibus omnibus completis ſumatur charitatiua refectio à D. Decano, omni modeſtia, & mediocri ſumptu præparata*, expoſtulantibus namque ferè omnibus PP. Magiſtris à primò vſq; ad vltimum ſuppliceſq; libellos ob id porrigentibus Emin. & Reuerendiſs. D. D. Cardin. Franciſcò de Nerlis Archiepiſc. Florent. pro prædictæ clauſulæ declaratione, fuit tandem per eius Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Vicar. Gener. Alexandrum Puccium ſub die 16. Octob. 1680. declaratum charitatiuam prædictam refectionem debere eſſe omninò non per modum ientaculi ad inſtar illius quæ fit in die S. Lucæ, vel die reſignatio-

tio-

tionis Decanatus, ſed per modum prandij præparandi ab ipſo D. Decano modo, & forma ibi præſcriptis quo ad numerum ferculorum, &c. Sicut decet modeſtiam, & honeſtatem tantæ Vniuerſit. ſub pœnis ibidem poſitis contra exceſſum facientes ſuper id quod tam prudenter, & iuſtè ſancitum eſt, cuius Decreti originale reperitur in Archiepiſc. Curia in actis D. Laurentij Borghigiani Archiepiſcop, Cancell. I.V.D. de verbo ad verbũ traſcripti In regiſtro litera C. obſignato fol. 38 à tergo.

Prædictis igitur iuſtis cauſis, rectoq; fine permotus Ad R.P.Mag. Raphael Badius sac.Ord. Præd. præſenti hoc anno 1683. Decanus maturè conſiderans quàm laudabile fuerit, quod iam factum eſt anno 1614. propoſuit PP.Magiſt. in almo Conuentu S. Mariæ Nouellæ coadunatis die 29. Ianuarij eiuſdem anni more Eccleſiaſtico prò Anniuerſario celebrando, reimpreſsionem harum noſtrarum Conſtitutionum cum auctuario eorum omnium, quæ à prædicto anno 1614. ſancita fuere; vel de nouo acciderunt cum ampliori Catalogo clarorum Virorum, qui ex eadem noſtra alma Vniuerſ. paſsim prodierunt, continuòq; Diuina opitulante Sapientia prodeuut, ſeruandis tamen ſeruatis quo ad approbationem Illuſtriſs. & Reuerend. D. Archiep. Flor. conſimili prorſus modo quo fuit vſus R.Ad.P.Dec. Fidelis à Puppio; Quare iam prehabito aſſenſu viua voce omnium PP.Magiſtr. congregatorum vt ſupra nemine diſcrepante elegit duodecim ex numero centum vndecim Doctorũ quibus eo die noſtra conſtabat Vniuerſ. Florent. nunquam ita numeroſa ad hoc vt ipſorum ope, conſilio, ſapientia, ac dexteritate quibus pollent intentum aggrediatur feliciter opus, quo cõpleto vnuſquiſq; tãquã in ſpeculo poſſit, & valeat veluti oculari inſpectione intueri, quod negligendum non eſt, nec obliuiſcendum cum ipſe noſtrarum conſtitutionum libellus, quid effugere, quid tenere, debeant omnes PP. Mag. clarè, & lucidè oſtendat indigentibus, atq; tuto indigitet.

Patres Magiſtri autem ſupradicti ſequentes ſunt.

Proſper Bernardus sacri Ord. Seru. B. Mariæ.

Dominicus Maria Brancaccinus eiuſdem Ord.

Ioan-

Ioannes Baptiſta Patigius ſacri Ord. Prædicat.
Benedictus Borgiottius Carmelita.
Hyppolitus Tonellius Clericus Florentinus.
Franciſcus Benfactus ſacri Ord. Eremitarum S. Auguſt.
Valentinus Calzolarius Abbas Vallumbroſanus.
Matthęus Strozzius Canonicus Florentinus.
Andreas Quaratefius Cononicus Florent.
Henricus de Noris Ord. Eremit. S. Auguſt.
Ioannes Paulus Bimbaccius Vallumbroſ.
Ioannes Iacobus Meſcolus Clericus Florent.

Cætera Priuilegia autem quibus per participationem videtur frui inter alia, de quibus non habetur memoria, noſtrum Almũ Florent. Collegium prædicti Diplomatis Imper. & Bullę Leonis X. Sum. Pont. robore, hic non adducuntur, præter ea quæ conceduntur in 6. Decretalium cap. de Magiſt. lib. 5. cap. 1. & cap. de priuileg. ac ea quæ ſtatuit ſac. Trid. Synod. ſeſſ. 5. de Reform. cap. 1. ſeſſ. 7. cap. 13. ſeſſ. 22. cap. 2. ſeſſ. 23. cap. 18. ſeſſ. 25. cap. 2. & alijs in locis ad fauorem ſtudiorum General. Vniuerſ. Collegiorum, Doctorum, & Scholariorum quia de facili colligi poſſunt ex Sum. Pont. Bullis, & Conſtit. Apoſt. nec non ex Authoribus qui de Iure Doctoratus, & Magiſtror. ſtatu agunt, præcipuè Bened. Pereyra Soc. Ieſu lib. 1. Elucid. Theol. Moral. De legib. elucidat. 9. ſect. 8. per tot. & lib. 8. Acad. q. 4. Vnde ad ipſas noſtras Conſtit. & Decreta accedimus ſine Capitulorũ multiplicatione. Quibus poſitis cum autentica ſubſcriptione duodecim præfat. PP. Magiſtr. & nominibus omniũ aliorum viuentium PP. Doctorum Vniuerſ. ponetur Syllabus DD. Epiſcop. & Archiepiſc. Florent. qui hoc noſtrum Colleg. à primordio, vſque ad noſtros dies decorarunt, vel ope, vel pręfectura; Poſtmodum album PP. Decanorum quorum inuenitur in noſtris monumentis recordatio, & demum longe amplior enarratio Illuſtrium Virorum qui ex illa prodierũt, vitaq; ſunt functi laudabili, non quidem omnium, ſed eorũ, de quibus fuit poſſibile notitiam adipiſci opportunam.

IN-

INCIPIVNT CONSTITVTIONES, ET DECRETA VNIVERSITATIS FLORENTINÆ.

CAPVT PRIMVM.

De noui Decani Electione.

CVM ante omnia Diuina opitulante gratia hæc noſtra Theologorum Vniuerſitas; S. DIONYSIVM Areopagitam tamquam ſibi patronum, & aduocatum in Cęlis à ſui primæua origine religiosè delegerit; Statuimus, & ordinamus ſingulis annis poſt feſtum dicti Protectoris D. Decanum pro tẽpore exiſtentem in die S. Lucæ conuocare teneri omnes Magiſtros Theologos in ſua Eccleſia, quibus congregatis, volumus à Iuniori Theologo Vniuerſit. cantari Miſſam ea maiori, qua fieri poterit ſolemnitate de *Spiritu Sancto cum collecta B.M.V. & S. Dionyſij noſtri Protectoris*; cuius miniſtri erunt Baccalaureus Conuentus pro Diacono, & Magiſter Studentium pro Subdiacono, ſi hoc commode fieri poſſit; ſin autem aſſumantur duo ex grauioribus PP. Monaſterij: Infra Miſſarum autem ſolemnia poſt offertorium, mandamus haberi orationem ab aliquo, cui D. Decanus demandauerit de ſacræ Theologiæ laudibus, & expleto ſacro, congregatis à D. Decano in aliquo decenti loco omnibus Collegij Magiſtris; D. Decanus dicet, ℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit &c.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum*. ℟. *Ex hoc, &c.* *Oremus.*

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum, &c. Amen.

Qua dicta D. Decanus proponet electionem noui Decani, quo electo cenſeatur ſuo officio functus, & ab illo abſolutus, in-

cuius

cuius ſignum ſtatim de loco aſſurgens, Tenia Rectoratus exuatur, Sigillum, & librum Capitulorum Vniuerſit. nouiter electo porriget, qui more Sacerdotum iurabit in pectore ſuper obſeruantiam prædictorum Capitulorum in hanc formam.

Ego Magiſter N. in Decanum hodie electus huius almi Collegij Florentini ſpondeo, & iuro certam, & fidelem obſeruantiam, horum omnium ſtatutorum, & hanc Vniuerſitatem meo officio durante pro viribus tueri, & gubernare.

Moxq: Tenia, Sigillo, & libro Capitulor. receptis locum D. Decani conſcendens ſi quid habet pro augumento, vel commodo Vniuerſit. terminandum proponet, quibus determinatis accepta conuenientis refectione ex bellarijs, vel cõſimilibus ab eo, qui Decanatus officio nuper functus fuerit præparata, omnes ad propria reuertantur.

CAPVT SECVNDVM.

De ijs, qui in Decanum eligi debent.

QVoniam huius Vniuerſit. Patres tamquam vnius corporis membra omnes cenſentur, ideo etiam omnes in Decanum eligi poterunt, dummodo vel de hæreſi conuicti, vel etiam ſuſpecti non abiurauerint, etiam ſi poſt actam pœnitentiam ad omnia reſtituti fuerint, vel aliqua grauiori infamiæ nota criminoſi non appareant.

Qui vero vltra vigeſimum ſecundum milliare à Florentia diù permanſurus reperitur, nec valeat ſaltem bis in anno ſui Decanatus publicis functionibus intereſſe, ſcilicet in electione Decani, & in Anniuerſario pro Patribus defunctis celebrando eo anno excuſari poterit, & vt primum Florentiam reuerſus fuerit tempore electionis proponatur, & ſi Patribus placuerit eligatur. * Quod ſi per accidens quis reperiatur in Capitulo inter PP. ad electionem noui Decani licet diſtet longe à Florentia vltra vigeſimum ſecundum millia re poſſit, imo debeat eligi in Decanum eo anno, quod ſi contrarium fa-
ctum

Decr. 14 Octob. 1621.

ctum fuerit, totum ſit irritum, & inane.

Quia vero ſæpe contingit, eligendum abſentem eſse, ideò teneatur Procancellarius per aliquot dies ante Congregationem, ſcilicet circa Kalendas Octobris per literas abſentium voluntates explorare, & ſic illi per Procancellarium admoniti ſtatim illum certiorem reddant an velint, & poſſint, nec ne, quod ſi hoc neglexerint, vel quacunque alia de cauſa reſponſum non dederint tamquam non acceptantes habeantur, & ſoluant pecuniam, vt infra à non acceptantibus ſoluendam.

Modus autem electionis Decani talis erit, vt is Magiſter, in Decanum eligendus proponatur, qui inter ipſos Vniuerſ. Magiſt. nondum Decanatus officio functus prius in ipſa Vniu. incorporatus fuerit, quod ſi contigerit omnes PP. dicto officio functos eſſe, ille denuo eligatur, qui primus erit inter omnes, qui verò rite, & legitime ſic electus, ſcilicet per vnanimem voluntatem maioris partis PP. Collegij explicandam per ſecreta ſuffragia renunciauerit, & cauſam huius renunciationis probabilem expoſuerit, audiatur, & ſoluat decem nummos aureos Vniuerſ. PP. ſenioribus præſentibus viginti tribus, ac Decano præterito * diſpenſandos, cenſeaturq; tamquam ſuo officio functus, & alius eligatur donec aliquis tantum munus ſuſceperit. Quod ſi infra quindecim dies admonitus dictam pecuniæ ſummam non ſoluerit, ipſo facto ab hac Vniuerſ. tanquã indignus abraſus, & excluſus abſq; alia declaratione intelligatur, neque iterum aſſumatur niſi vnanimi omnium, & ſingulorum PP. voluntate per vota ſecreta explicanda, & niſi prænominatum auri pondus, non ſoluerit.

Conſiderantes * autem quantum omnibus, & præcipue noſtræ Vniuerſit. Patribus inuigilandum omni cura, & diligentia ſit, & ne aliquis niſi iuſta de cauſa abradatur à noſtro Theologor. Catalogo, ideo ſtatuimus, vt Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Archiepiſc. & Epiſc., licet Congregationi noſtræ nequeant intereſſe, nec alij de noſtro Collegio in poſterum abradantur ſub pœna, vt qui aliter præſumpſerint ipſi abradantur.

E CA-

Decr. 15. Nou. 1660. Decr. 24. Ian. 1639.

CAPVT TERTIVM.

De Officio Decani.

ELectus D. Decanus ſtatim ſi præſens fuerit Inſignia ſui Decanatus ſuſcipiat; ſi verò abſens, qui pro abſente acceptauerit tamquam Prodecanus ea omnia exequatur, quæ exequi teneretur ſi eſſet Decanus, cuius partes erunt potiſſimum hanc Florentinam Vniuerſit. Patrum Theologorum pro viribus tueri, exaltare, & augere, ſtatutorũ obſeruantiam cuſtodire, puncta laureandis tribuere, ſuffragia à Patribus reddita diſtincte numerare, & numerata intueri, & quod ab illis approbatum, vel reprobatum fuerit ſignificare.

Primus locus, & prima ſedes ei legitime concedatur. Ipſe ſolus quandocunque voluerit, & res popoſcerit PP. Theologorum Vniuerſ. conuocare, & conuocatam dimittere poterit, cæterorum vero nullus niſi ſit Prodecanus, vel de eius mandato, & ob id non licebit D. Decano abſq; vrgenti neceſſitate diu extra Ciuitatem Florentiæ commorari, quod ſi diebus plurimis abeſſe neceſſitetur, alterum ex PP. Theologis pro libito in Prodecanum conſtituat, idq; per patentes literas Sigillo Vniuerſitatis munitas, & alijs ſignificet, quod ſi ſecus fecerit omni pecuniarum diſtributione illo anno ſoluenda pro qualibet cauſa omnino priuetur, & tunc temporis antiquior Theologus vices Decani gerat donec ipſe reuerſus fuerit.

Omnem pecuniam quomodolibet huic Vniuerſitati debitam ipſe ſolus recipiet, fideliterq; * viginti tribus Magiſtris Theologis, ſenioribus præſentibus, & non alijs ex æquo diſpẽſet, ſibi vero ſẽper duplicem portionem reſeruet, (quod quidem poſſit etiam fieri per Procancell.) quicquid verò communibus ſumptibus factum fuerit, id ex communi maſſa ſubtrahat, hoc autem nũquam attentare præſumat, niſi de conſenſu omnium, vel ſaltem maioris partis Theologorum, quod ſi ſecus fecerit, totum

quod

* Decr 21. Iulij 1621.

quod factum fuerit proprijs ſumptibus feciſſe videatur.

Apud ipſum Sigillum, Tenia, & liber Statutorum ſemper conſeruetur, & ſi ex his quidpiam, vel perdiderit, vel vitiari permiſerit proprijs ſumptibus damnum totum reſarcire teneatur, quod ſi neglexerit per duos menſes ab Vniuerſitate abſque alia declaratione iudicetur abraſus. Tenetur inſuper Anniuerſarium PP. Theologorum ordine, quo infra celebrandum, & in die S. Lucæ, vt ſupra, Vniuerſit. conuocare pro noui Decani electione, quod ſi in hoc negligens fuerit, poſt prædictum diem ſuo officio functum eſſe cenſeatur, & quod faciendum attentauerit irritum omnino exiſtimetur, præter quam Patres infra tres dies conuocare ad nouum Decanum eligendum, modo quo ſupra, ſoluetque toti Vniuerſ. diſtribuendos quinque Nummos aureos, quod ſi non ſoluerit cogatur omni meliori modo, & tandem ab Vniuerſ. abradatur: Similiter niſi infra tres dies poſt feſtum S. Lucæ nouum Decanum eligendum curauerit, ipſo facto ab Vniuerſ. excluſus abſq; alia declaratione habeatur, neq; iterum vniri poſſit, niſi de vnanimi omnium PP. Theol. conſenſu, & primus vel ſenior Theologus, PP. omnes ad noui Decani electionem congregare tenebitur, quę fiet cum ſolemni Miſsa, ceteriſq; ſupra poſitis non tamen obligetur ad huiuſmodi refectionem faciendam.

Si accidat *autem, quod quacumq; de cauſa. D. Decanus eſset excluſus, & abraſus, vel ad apicem Dignitatis Eccleſiaſticæ aſsumptus, vel vita functus, &c. tunc in omnibus Antiquior in Collegium, Decani vices gerat in omnibus vſq; ad tempus proximæ futuræ electionis alterius Decani niſi hoc accidat paulo poſt iam ſecutæ electionis, tunc namque ad nouam electionem eſset deueneni dum.

Non tenebitur tamen tunc antiquior Magiſter, qui in prædictis, vel conſimilibus caſibus D. Decani vices obtinuerit ad refectionem ſaccariam, neque ad expenſas Anniuerſarij, ſi tunc temporis acciderit, ſed ſolummodo ſex libras argenteas, vel ad ſummum aureum nummum pro cera de proprio ſuo ære tenebitur expendere.

CA-

* Dec. 9. Iunij 1645. Regiſt. A.

CAPVT QVARTVM.

De electione Procancellarij, & eius officio.

ELectio Procancellarij hoc ordine habeatur, Vnus ex Patribus Theologis ad libitum Domini Decani nominatus, & à maiori PatrumTheologorum parte approbatus per annum officium Procancellarij noſtri Collegij ſortietur, ad quem pertinebit omnes ſcripturas quomodocunque ad hanc vniuerſitatem ſpectantes fideliter, accurateq; apud ſe retinere, ordinationes ſtatutaq; à Magiſtris pro tempore innouatas conſcribere, omnium Doctorum Magiſtrorum nomina in regiſtro communi ſuo ordine diſponere, *geſta à PP. Theologis patrata poſt mortem cuiuſcunq; adnotare, Vniuerſitati publice procedenti aſſiſtere, & curare, vt in omnibus, & ſemper ſeruetur caput de præcedentia Magiſtrorum omniaque ſimul cum D. Decano operari, quæ huic Vniuerſitati, vel quid commodi, vel vtilitatis honoriſue afferre poſſe cognouerit, habito tamen ſemper pro rei magnitudine aliorum PP. conſilio, nihilq; ſponte operetur, ſed aliorum voluntate cognita, quod ſemper fiet per vota ſecreta, vt cuilibet quicquid ſenſerit liberius aperire liceat, id autẽ quod maiori parti Theologorum viſum fuerit ſemper exequatur, quod ſi ſecus fecerit tam ipſe, quam D. Decanus pro rei magnitudine ab Vniuerſitate corrigantur, & ab illis attentatum irritum, & vanum ſemper exiſtimetur.

Procancellarius non diſcedat Florentia etiam tempore Quadrageſimali diu alibi permanſurus ſine licentia D. Decani, qua habita alterum ex Patribus ſui officij locum tenentem eo tempore proponat à D. Decano approbandum, ali oquin duplici diſtributione in proximum diſpenſanda priuetur.

Si vero non fuerit ex participantibus teneatur ſoluere vnum ſcutum aureum ipſi Decano, quod ſi hoc negligeret, etiam abraſione à Collegio puniri poſſit.

Ha-

* Decr. 12. Nouemb. 1660, vt in regiſtr. B pag. 100.

Habeat apud ſe capſulam in qua omnia ad Vniuerſitatem ſpectantia fideliter ſeruet, quicquid autem, vel eius incuria, vel negligentia amiſſum, vel vitiatum fuerit, proprijs ſumptibus reſarcire cogatur, & renuens pro rei magnitudine corrigatur, etiam ſi opus fuerit abraſione à Collegio.

Expleto autem anno iterum ſi D. Decano viſum fuerit confirmari poterit idem Procancellarius ab Vniuerſitate, modo quo ſupra, ſin minus ſtatim omnia, quæ apud ſe retinebat fideliter ſucceſſori conſignabit infra tres dies ſub pæna qua ſupra.

CAPVT QVINTVM.

De Anniuerſario Celebrando.

Singulo quoque Anno in menſe Ianuarij Anniuerſarium pro omnibus Vniuerſitatis Patribus defunctis celebretur ſolemniter, ideo D. Decanus pro Altaris ornamento, atq; pergulato prouideat cereos, ſeu luminaria numero ad minus viginti quatuor, conuocetq; omnes Vniuerſitatis PP. Theologos, & Baccalaureos in ſui Conuentus Eccleſia, vel quacumque alia, qui omnes vocati conuenire, miſſamq; pro Patribus defunctis celebrare, & Reſponſorio poſt Miſſam maiorem ſolemniter decantando intereſſe debebunt * nulluſq; ab hoc pietatis officio excipiatur, niſi abſentia viginti duo millia paſſuum, vel infirmitatis, vel grauioris negocij impedimento detineatur Vniuerſitati expoſito, & per ſegreta ſuffragia approbato, alioquin diſtributione pecuniæ eo anno occurrenti priuetur.

Ad Reſponſorium autem in fine Miſſæ, & verſum *Libera me Domine*, ſinguli Magiſtri bini, & bini iuxta ordinem in capite de præcedentia procedant, cereumq; valoris vnius Iulij à D. Decano prouiſum in manibus accenſum habeant * quod ſi eidem Reſponſorio non interfuerint, ſimiliter deſtituantur eadem diſtributione; Reſponſorioque completo, Feretroque à iuniori Theologo, qui Miſſam decantauit, aqua Benedicta, & incenſo con-

Decr. 24. Ianuarij 1639. Decr. eod. die, & anno 1639.

conſperſo,ab aliquo Vniuerſitatis Theologo, quam magis D. Decano videatur,diſputatio de Theologicis Theorematibus habebitur,nulluſq; ab hoc munere excipiatur, ſed ſtatim parere teneatur, niſi legittimum aliquod aſſignauerit impedimentum ,quod erit approbandum à D. Decano, & duobus Patribus Magiſtris Senſoribus,tunc temporis præſentibus;octoq;ad minus Theologica Theoremata proponantur, ſcilicet duo ex quolibet libro Magiſtri Sententiarũ,quę magis defenſanti videbũtur,contra quę argumentabuntur ſolũ Magiſtri deCollegio.

Sed quoniam Dei fauente gratia non ſolum ex Mendicantibus Ordinibus, ſed etiam ex Canonicis,Sæcularibus Presbiteris, & Monaſticis Religionibus Patres Theologi in hoc almo Collegio præfulgent,ideo vt omnis tollatur inter ipſos altercandi occaſio idem ordo in arguendo ſeruandus erit , qui vſque modo ſeruatus eſt , ſcilicet , vt quatuor arguentes ſint , duo ex Ordinibus Mendicantibus,vnus ex Presbiteris Sęcularibus , & vnus ex Monaſtico Ordine , qui arguant ſecundum ordinem cuiuſque Aggregationis in Collegio *: Si quid diſcriminis exortum fuerit totum prudentiæ, & diſcretioni D. Decani remittatur, cuius determinationi ſtandum erit.

Quod ſi adſint alij Doctores Theologi à prædictis,quicumque illi ſint, qui contra Theoremata prædicta arguere velint,Magiſter defendens reſpondere minime dedignabitur,& ne multis altercationibus Patres Theologi ſtrepitibus , & clamoribus perturbentur cum primum D.Decanus verbo , vel ſigno ſilentium innuerit,ſtatim omnes quieſcent,ſolutionemq; omnium difficultatum ab ipſo humaniter , & benignè (vt par eſt) recipient.

Si vero is cui tale munus diſputandi iniunctum fuerit ſubire recuſauerit per tres annos continuos priuetur participatione omnium pecuniarum,quæ in noſtra Vniuerſ.diſtribui ſolent;Sed ſi non ſit ex participãtibus teneatur ſoluere vnum ſcutum , applicandum ei,qui tale munus diſputandi ſuſceperit,& ſi in hoc negligens reperiatur,elongetur à Collegio; quod ſi ritè,rectèq; ſe geſſerit,& munus ſibi impoſitũ libẽter ſuſceperit in ſignũ grati-

titu-

* Decr. 24. Ianuarij 1639.

titudinis volumus ei dari vnum ſcutum, ac pro impreſſione *Concluſionum*, ſeu *Theorematum* decem libras, & totum hoc trahendum ex communi maſsa nouiſſime diſpenſanda: quibus omnibus completis, omnes Magiſtri Dominum Decanum in locum præparatum comitentur, & monetam vnius iulij pro expenſis factis eidem ſoluant, nedum qui interfuerunt, verum etiam qui legitime impediti, Anniuerſario intereſse non potuerunt, ſub pœna priuationis pecuniarum, quæ primo loco diſpenſandæ erunt, quæ ipſi D. Decano tribuentur.

Sedentes igitur omnibus in ſuis locis dicet D. Decanus: ℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit, &c.* Interroget D. Decanus an Anno elapſo quiſquam ex noſtræ Vniuerſ. PP. ex hac vita deceſserit, & pro eis fiat ſupplicatio cum Pſalmo *De profundis*, in fine cuius dicatur à D. Decano ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue, &c.* ℣. *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus, &c.* ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. *Oremus*.

Abſolue, quæſumus Domine, Animas famulorum tuorum Doctorum, ab omni vinculo delictorum, vt in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum, &c.

Admoneatque vnumquemq; ad tres Miſsas pro ſingulo Vniuerſ. defuncto celebrandas teneri horteturque omnes ne id munus prætermittere velint, ſcientes, quod ea menſura qua menſi fuerint remetietur eis: hortetur quoque omnes PP. verbis grauioribus, & ornatis ad horum Decretorum obſeruantiam eorum maxime vnde Diuinus cultus, & ipſius Vniuerſitatis decus præcipue pendet.

Tandem ſi quid pro Vniuerſ. conſeruatione, & incremento proponendum erit, ab eodem D. Decano proponatur: quod etiam fiet quandocumque neceſſitas congregandi popoſcerit.

Quibus omnibus expletis ſumatur charitatiua refectio, quę debet eſse per modum * prandij à D. Decano omni modeſtia, & mediocri ſumptu præparata, in fine cuius dicatur à D. Decano, ℣. *Sit nomen Domini benedictum*. ℟. *Ex hoc, &c.* Et ſic omnes cum pace ad propria reuertantur.

CA.

* Dec. 16. Octob. 1680. vide ſupra pag. 28.

CAPVT SEXTVM.

De Præcedentia Doctorum.

AD tollendam omnem pænitus Patrum Theologorum in procedendo confuſionem ordo præcedentię localis in omnibus Proceſſionibus, Seſſionibus, Circulis, & Diſputationibus, & in his alijs, quæ ad Vniuerſitatem pertinent hic erit * D. Decanus in medio duorum ex Canonicis, vel ex Senioribus ſemper omnes Patres Theologos pręcedat, & in eius abſentia Prodecanus; poſt Decanum is cęteros præcedat, qui prius eſt Vniuerſitatem ingreſſus; Illeq; ſemper prior exiſtimetur præ cæteris, qui D. Decanum, vel recepturus pūcta recitanda, vel Vniuerſitati noſtræ incorporandus prior adierit; qui ordo tam in noſtris Proceſſionibus, & explicandis placitis, quam in promotione ad officium Decanatus omninò ſeruetur; qui vero in hoc renitens repertus fuerit ſemel, & iterum per Procancellarium admonitus non obtemperans, tamquam ſcandali auctor ab Vniuerſitate elongetur.

Cęterum excipiendi ſunt ab hac regula RR. DD. Metropolitanæ Florentinæ Canonici in eadem noſtra Vniuerſitate Doctores aggregati, quibus præcedentia localis in omnibus Proceſſionibus, Seſſionibus, Circulis, & Diſputationibus ab Vniuerſitate quocumque tempore facturis, ſeu faciendis, ſemper conceden da eſt, & permittenda, ſaluis tamen ſemper diſtributionibus pecuniæ, quæ ſolis Senioribus Patribus Doctoribus peruenire debent, ſaluoq; ſemper iure, loco, præcedentia, & auctoritate D. Decani pro tempore exiſtentis, vel eius vices gerentis.

Quando verò ad Funus alicuius Defuncti ex hac noſtra Vniuerſ. Magiſtri adeſse debuerint, ipſi Feretrum ſubſequantur, & Corpus Defuncti vſque ad Eccleſiam comitentur, vbi Oratione de Defuncti laudibus audita, omnes recedant. In procedendo autem, ſemper poſt Funus immediate ſequatur D. Decanus

me-

Decr. 24. Ianuarij. 1639. Decr. 17. Septemb. 1665.

medius inter duos ex ſenioribus, deinde gradatim ſeniores, & poſt omnes ſequatur Magiſter paratus pro Officio Funeris.

In reliquis autem procedatur ordine præpoſtero, vt primo iuniores gradatim, & nouiſſime D. Decanus, vt ſupra.

Die verò, quo nouus Decanus fuerit electus, primus locus poſt ipſum prædeceſsori concedatur; cęterum eo die tranſacto in priſtinum ſuæ promotionis locum reducatur.

CAPVT SEPTIMVM.

De promouendis ad Magiſterium, & de modo promotionis.

CVm primum aliquis cuiuſcunque ſit gradus, & dignitatis ad Doctoratus, ſeu Magiſterij inſignia promoueri voluerit D. Decanum noſtræ Vniuerſitatis adire teneatur, à quo puncta Theologica recitanda ſuſcipiat, quæ nemo alius ex noſtris Patribus tribuere poterit, ſed ad ipſum tantum D.Decanum ſpectabit coram Notario, & duobus ſaltem PP. Mag. & Procancellario, quæ puncta hoc ordine diſponentur, vel ex primo, & tertio, vel ex ſecundo, & quarto Magiſtri Sententiarum, quod etiam ſine conſenſu Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D. Archiepiſcopi Florentini, vel eius Vicarij fieri poſſe nullo pacto volumus.

Verum antequam puncta recipiat, deponet apud ipſum D. Dec. duodecim nummos aureos, viginti tribus PP. Senioribus *præſentibus, & ipſi Dec. Vniuerſ. pro duplici portione diſtribuendos, vt ſupra cap. 3. ſimiliter tenetur ſuo Laureandus Promotori gratitudinis ergò elargiri ſaltem dimidium aureum; Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.D. Archiepiſcopo ſi examini interfuerit duos nummos aureos, ſi autem eius loco Vicarius, vnum tantummodo eidem D. Vicario tribuere tenebitur. Notario Curiæ Archiepiſcopalis pro rogitu ſcutum vnum, & pro Doctoratus priuilegio conſcripto ſimiliter ſcutum vnum, Bidello ſtudij iulios quatuor, Chyrotecas verò duplicatas Reuerendiſs.

* Decr. 21. Iulij 1621. & 24. Ianuarij 1629.

D. Vicario, D. Decano, Promotori, Arguentibus, & Procancellario noſtro, ſimplices vero cęteris Doctoribus non participantibus, etiam infirmis Florentiæ degentibus, largietur, quod ſi ſecus fecerit, puncta recitaturus non audiatur, Dominuſq; Decanus Vniuerſitatem non conuocabit.

Modus vero promouendi ad Magiſterium hic erit, Cum per Collegij Bidellum nomine D. Decani Patribus ſignificatum fuerit id eſſe executioni mandandum, hora, qua certiores facti fuerint, omnes in Metropol. Eccleſia conuenient; & inde ad Curiam Archiepiſcopalem proceſſionaliter omnes cum inſignijs de more procedant, hoc ordine poſt Bidellum, immediatè Laureandus medius inter Promotorem à dextris, & iuniorem Magiſtrum à ſiniſtris, deinde cæteri Patres ſuo ordine ſubſequentur, vltimus omnium erit D. Decanus cum tenia ſuper humerum ſiniſtrum, mozzetta, annulo aureo, & birreto ſicuti cæteri Patres nullo excepto, * & qui taliter ad hanc, & alias omnes functiones non interfuerit, inſuper & talari toga induti præſenti participatione priuabuntur. Cum vero ad Curiam Archiepiſcopalem peruenerint, Laureanduſq; puncta recitauerit, & argumentis ſatisfecerit D. Decanus doctrinæ, & conſcientiæ Patrum committat, an dignus ſit tali honore, nec nè, eiuſque idoneitate per vota ſecreta maioris partis Patrum approbata & per Bidellum clara voce manifeſtata, factaque fidei profeſſione in manibus Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D. Archiepiſcopi, vel eo abſente, ipſius D. Vicarij, & in caſu ſedis vacantis D. Vicarij Capitularis, iuxta tenorem diplomatis Caroli IV. & Bullæ Leonis X. ſecundum formulam, quæ in fine huius capitis apponetur, idem prædictus D. Vicarius declarabit prædictum Laureandum in Doctorem, atque Magiſtrum in Sacra Theologia cum omni auctoritate legendi, interpetrandi, gloſſandi Cathedram Magiſtralem aſcendendi, & omnes alios actus Doctorales, & magiſtrales exercendi.

* Cum autem ex conceſſione Caroli IV. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti ſatis ſint ad idoneitatem Laureandi approban-

Decr. 24. Ianuar. 1639. 17 Ianuar. 1653. 9. Septem. 1672. 24 Ianuarij 1639.

bandam ſex, vel octo Patres Doctores, ideò decernimus vt ipſe D. Decanus quouis tempore, etiam quadrageſimali, omnes Patres Theologos teneatur conuocare, quo ordine ſeruato, & non alias poſſit ſi alij ſic conuocati maiori numerò minimè interfuerint, quàm ſex, ſiue plures poſſit tunc per ſex tantum illos ſiue plures tale munus exercere; & niſi omnes per Bidellum conuocauerit, tunc illa functio ſit nulla, nec in numerum Doctorum Laureatus, ſiue incorporatus eſſe cenſeatur, priuenturq; omnes tam Decanus, quam Magiſtri, qui inualide interfuerint ea participatione, & alia proximè habenda in pęnam trãſgreſſionis, nulliq; alio hoc attentare licebit niſi Prodecano in abſentia D. Decani, quod ſi ſecus factum fuerit irritum, & inaue exiſtimetur.

Si autem ob præſtantiam alicuius Laureandi placuerit viuæ vocis oraculo illum Theologali Laurea decorare, etiam ſi propoſita puncta non recitauerit, vt moris eſt, tunc in gratitudinis ſignum omnia duplicentur, tam pecunia, quàm Chyrotecæ, atque hoc nequeat proponi niſi à ſolo D. Decano, vrgentiſſimaq; de cauſa, & qui aliter attentauerit ad arbitrium D. Decani puniatur.

Profeſſio fidei iuxta formam Bullæ Pij IV.

EGo N. N. firma fide credo; & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet; Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui

cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum; Et vitam venturi ſaculi, Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpetratione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam vnquam niſi iuxtà vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpetrabor; Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & pooprie Sacramenta noua legis, à Ieſu Chriſto Domino inſtituta, atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; Illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo deffinita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deò verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Eucharistiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem vnà cum anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumq; ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis

de-

debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoq; Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipue à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, deffinita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalnus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adiuuante, retinere, confiteri, atque a meis ſubditis ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari (quantum in me erit) curaturum. Ego idem N. N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAPVT OCTAVVM

De Promotore, & Arguentibus.

QVemadmodum Arguentes ad libitum D. Decani eligi condecens eſt, ita Promotor ad libitum Laureandi eligendus erit, qui Promotor tenebitur docere, & inſtituere promouendum de cęremonijs, cæteriſq; ad hoc munus peragendum neceſſarijs, ipſique promouendo ſemper adſiſtet, vt id, quod illi opus fuerit ſuggerere queat, Habitâ à D. Decano facultate, præmiſſaq; breui Oratione conferet inſignia Doctoratus Laureando, nempe Biretum quadratum, annulum aureum, * habitum, ſeu Mozzettam ſericeam violacei coloris deforis, intus vero ſuppoſito colori rubeo ſericeo, & circum circa pellibus

* Decr. 9. Septemb. 1672.

albis exornatam, librum Magiſtri Sententiarum clauſum,& apertum, & tandem cum oſculo pacis amplectatur, qui ſic promotus, & Laureatus manus D. Vicarij D. Decani, & omnium Patrum Theologorum ſtatim, & ipſe oſculabitur, & habitis gratiarum actionibus omnes diſcedant.

Quod ſi *Laureatus* peteret ſolemni pompa cùm Tubis, & libris, alijſque publicè cęremonijs de more Patres Theologos illum comitari,in ſignum grati animi non permittet illos ieiunos diſcedere,& ordo erit, vt poſt Bidellum tibicines deinde iuniores de Collegio gradatim, & ante D. Decanum Laureatus in medio Promotoris, & alterius Senioris ante quem præcedant qui duos, vel quatuor libros apertos deferant in vltimo loco ſequatur D. Decanus duobus ſemper ex Canonicis, vel Senioribus Collegij aſſociatus.

* Si verò acciderit,D.Decanum Promotoris munus exercere tunc ab Eccleſia Metropolitana vſque ad Eccleſiam S. Saluatoris proceſſionaliter incedat more ſolito in locum Decani,cum vero peruentum fuerit ad dictam Eccleſiam tribuat inſignia Decanatus alteri ex Patribus pro ſuo libito,qui pro Tribunali ſedeat in loco ipſius Dec.& eius officio fungatur,& ipſemet Dec. in Promotorem electus cum Laureando in loco ſuæ promotionis conſiſtat: Sed diſtributio detur P. M. Dec. Promotori, illi vero,qui eius gerit vices ſolum Chyrotecæ tribuantur, quæ de more dantur D. Decano.

CAPVT NONVM.

De Doctoribus Incorporandis.

SI quis Doctoratus inſignijs præfulgens huic noſtro Colleg. vniri, & incorporari voluerit, D. Dec. conueniet,qui omni diligentia vitam,qualitates, & mores illius inquirat, vt inde cæteris Patribus ad id congregatis poſſit de eius probitate irrefragabile reddere teſtimonium, ſoluetq; Vniuerſ. decem num-

mos

* Dec. 7 Octobr. 1678.

mos aureos eiſdem diſtribuendos, & Bidello tres iulios, inſuper, & Chyrothecas more, quo ſupra.

Quod ſi huiuſmodi vnio, & aggregatio ſubſequatur ſtatim promotionem ad Magiſterium talis promotus ſoluet tantum pro huiuſmodi aggregatione quatuor nummos aureos, non enim erit denuò Patrum Congregatio neceſſaria.

CAPVT DECIMVM.

De Baccalaureis recipiendis.

NVllus Baccalaureus in noſtra Vniuerſitate recipiatur niſi prçuio examine aliquot Theorematum Theologicarum, cui examini, & Diſputationi omnes Vniuerſitatis Patres intereſſe tenebuntur, iurabitq; recipiendus inuiolabiliter obſeruare omnia, & ſingula infra ſcripta videlicet SacroSanctæ Romanç Eccleſiæ, ac Beatiſs. Domino noſtro N. Papæ, & ſuis ſucceſſoribus fidelitatem iuxta præſcriptum Eugenij IV., & Bull. Pij IV., & B. Pij V. Summ. Pontif., D. Decano, & eius Prodecano in his, quæ ad Vniuerſitatem pertinent, promptam obedientiam, & omnibus Patribus noſtri Collegij reuerentiam: statuta vero, & Decreta Vniuerſitatis opere complere promittet, ſoluetque D. Decano quinque nummos aureos ex more diſtribuendos, quod ſi prędicta omnia cuſtodire renuat non recipiatur.

* Inſuper numquam poſſit, nec debeat Magiſtros, & Doctores præcedere, & quando ipſe Baccalaureus fuerit Doctor, & Magiſter declaratus, tunc ſolum remaneat in loco ſuæ aggregationis, & incorporationis in Collegio, & tunc præcedat quotquot poſt eius receptionem aggregati, ſeu aulati fuerint, & ſoluat alios quinque nummos aureos diſtribuendos, vt ſupra.

Formula Iuramenti.

EGo N. Ordinis N. in S. Theologia Baccalaureus, iuro, & promitto inuiolabiliter obſeruare omnia, & ſingula, quæ à Baccalaureis in

* Decr. 19. Septemb. 1651.

in Vniuerſ. Florent. incorporati obſeruari debent, & ſolent, videlicet. Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ. ac Beatiſs. D.N.Papæ, & eius ſucceſſoribus fidelitatem iuxta præſcriptum Conſtitut. Eugenij IV. & Bullam Profeſſionis Fidei Pij IV. D. Decano, & eius Prodecano in his, quæ ad Vniuerſ. pertinent, promptam obedientiam, & omnibus PP. dicti Collegij Florent. reuerentiam. Statuta verò inſuper, & Decreta Vniuerſ. opere complere ſpondeo, & promicto. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAPVT VNDECIMVM.

De Diſtributione Pecuniæ.

OMnis pecuniæ ſumma * quomodolibet Vniuerſiteti debita tantum D. Decano vel eius Procancellario tribuatur ab ipſoque fideliter diſpenſetur tantum his PP. 23. ſenioribus qui actui per quem talis pecunia collata eſt præſentialiter interfuerint, neque excipiendi ſunt aliqui ſiuè infirmitatis, vel alterius negocij cauſa, ſiuè Florentiæ degentes ſiuè non, etenim non eſt diſtributio more Beneficiatorum ad victum, ſcilicet neceſſaria ſed pro Vniuerſitate aggreganda ac propterea ſolum ijs qui congregati ſunt debetur, Infirmis autem Florentiæ degentibus tribui volumus Chyrotecas, * quos etiam ne dum D. Decanus, ſed etiam cæteri Magiſtri, & Patres ſæpe adire, eoſque blandè in Domino conſolari tenebuntur, immo eligendi ſunt à D. Decano pro ſuo libito quatuor Patres, quibus ſuper hoc inuigilandi munus committatur.

In omnibus vero diſtributionibus duplex portio D. Decano tribuatur, cęteris vero 23. PP. participantibus æqualiter diſpenſetur; Baccalaurei autem dimidium ſolum accipiant cum & dimidium in vnione ſoluerint: Similiter duplex portio pecuniæ à renunciantibus Decanatui ſolutæ, Prędeceſſori Decano ſemper aſſignetur. Quicquid autem pro communi Vniuerſit. bono agendum erit ſemper ex communibus pecunijs compare-

Decr. 21. Iulij 1621. & 24. Ianuarij 1624. 28. Ianuarij 1622.

retur, id tamen non fiat ſine conſenſu PP. pro quantitate, & qualitate expenſarum.

Bidello non ex communi maſſa quidquam tribuatur, ſed à Laureando, vel incorporando ei detur, quod ſuperius ſtatutum fuit.

CAPVT DVODECIMVM.

De Fide Idoneitatis facienda.

QVoniam ex Concilio Trid. ſeſſ. 2 1. cap. 2. de reformatione conſtat de teſtimonio ab aliqua Vniuerſ. habendo, ideo ordinamus, quod ſi quiſpiam, vel per ſe, vel per aliud à PP. noſtræ Vniuerſ. peteret clarum, & apertum teſtimonium quo ad alios docendos ſuæ idoneitatis ei abſq; vllo præiudicio fieri poterit, ſi tamen vel certa experientia ſi præſens fuerit, vel ſaltem proborum virorum, ſi abſens relatione omni exceptione fide digna eius habilitas cognita fuerit; quod quidem idoneitatis teſtimonium non per vota ſecreta Patrum, ſed viuæ vocis oraculo, ſicut vſque modo ſeruatum eſt, reddetur. Qui verò tale teſtimonium accipit tenetur pro libito signum aliquod gratitudinis exhibere Collegio propter ipſum congregatum.

Si verò tale teſtimonium peteret, vt publice in Academia Florent. moralem Theologiam legere poſſet, eo quod ad tale magiſterium fuerit promotus, tunc non debet illud accipere, ſed tenetur omnino aggregari, & incorporari noſtro Collegio antequam legere incipiat.*

CAPVT TERTIVM DECIMVM.

De Hæretica prauitate notatis.

COnſiderantes quantum omnibus, & præcipuè noſtræ Vniuerſ. PP. inuigilandum omni cura, & diligentia ſit contra hæ-

G

*Dec. 16 Octob. 1578.

hæreticam prauitatem, & quam malum foret ſi prætermiſſa vigilia dormitarent, & non modo ſinerent agrum Domini zizania ſeminari, ſed ipſum quoque aliquem tali nequitia labefactari, ideò ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi quis ex noſtra Vniuerſit. (quod Deus auertat) de aliqua hæreſi notatus fuerit, atq; abiurauerit tamquam de illa conuictus, aut ſuſpectus ſiue vehementi, ſiue leui ſuſpicione, hac noſtra Vniuerſit. in perpetuum priuatus intelligatur, etiam poſt peractam pœnitentiam non valeat reuniri, niſi de vnanimi omnium Theologorum conſenſu per vota ſecreta patefaciendo nemine penitus diſcrepante.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

De licentia habenda à D. Decano.

NVllus noſtræ Vniuerſ. Magiſter aliquem ad gradum Magiſterij promouere audeat extra noſtram Vniuerſit. abſq; licentia petita, & à D. Decano obtenta, quod ſi ſecus factum fuerit tam Promotor, quam Promatum concomitantes ipſo facto ab hac Vniuerſit. abraſi exiſtimentur, cæteras verò Magiſterij, & Doctoratus functiones tam in proprio Monaſterio, quam extra pro libito libere exercere, & exequi, vt ſuis Superioribus videbitur, ſine aliquo præiudicio poterunt,

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Decreto in Vniuerſitate legendo.

IN vnaquaque noſtrorum Patrum Theologorum hac Vniuerſ. Congregat. illud horum noſtrorum Decretorum Capitulum per Procancellarium legatur quo omnes plene nouerint, quod in tali Congregat. agatur, & vt melius, & rationabilius omnia perſcrutati liceat omnibus liberè loqui concedatur dummodo ſermone latino, & ornatè cum omni modeſtia prout

tan-

tantos PP. condecet, & præſertim ordinate, iuxta ordinem ſupra dictum de præcedentia ſtatutum fuit, vt omnium placitis ſic expoſitis libenterque auditis id ſemper determinetur, quòd communiori PP. conſilio conſentaneum apparuerit. Ad pleniorem tandem horum decretorum notitiam, & obſeruantiam PP. infra ſubſcriptorum conſilio firmatum eſt hæc publicis Typis mandare, vt quilibet Theologorum, Magiſtrorum, & Baccalaureorum noſtræ Vniuerſ. habere, & apud ſe retinere facile queat, & opportunè videre.

F I N I S.

PRÆSCRIPTVS ORDO PÆCVNIÆ DISTRIBVENDÆ PP. Magiſtris participantibus, & Chyrothecarum, iuxta Decr. Fl. Vniu.

Pro Laureatione tantum Doctoris.

ANte punctorum recitationem deponendi ſunt apud D. Decanum, vel Procancellarium Vniuer. duodecim nummi aurei, ſeu libræ Florentinæ monetæ nonaginta diſtribuendæ ſolum PP. Decano, & participantibus, illi, vel eius Vices gerenti duplex portio, iſtis æqualiter. lir. 90.

Illuſtr. & Reu. D.D. Archiep. Vniuerſit. Imperiali Præſidenti, & Præfecto, ſi interfuerit Laureationi duo nummi aurei, ſeu libræ quindecim l. 15.

Reu. D. Vicario in ipſius abſentia, vel tempore ſedis vacantis, vnus nummus aureus, ſeu libræ ſeptem, cum dimidio l. 7. 10.

Promotori ad minus dimidium aurei, ſeu libræ tres, & ſolidi quindecim l. 3. 15.

Notario, ſeu Cancellario Archiepiſc. duo nummi argentei, ſeu libræ quatuordecim, videlicet

Pro rogitu, & aſſiſtentia l. 7.

Pro Doctoratus Priuilegio conſcripto l. 7.

Bidello Collegij Iulij quatuor l. 2. 13. 4.

PP. autem Magiſtris omnibus non participantibus den

tur ſolum Chyrotecę, etiam infirmis, qui tunc ſunt Florentiæ.

Illuſtr. ac Reu. D.D. Archiep. vel eius D. Vicario, PP. Mag. Dec. & Promotori, ſicut & arguentibus dandæ ſunt duplicatæ chyrotecæ, ſi alias ex PP. Senioribus non ſint, tunc enim dantur ſolũ non duplicatę.

Pro incorporatione Magiſtri, ſeu vnione in Collegio.

SI hæc ſubſequatur ſtatim promotionem ad Magiſterium, ſic promotus ſoluat tantũ quatuor nummos aureos diſtribuendos PP. Dec. & alijs participantibus cum duodecim nummis aureis pro Laurea vt præfatum eſt l. 30.

Pro ſola Incorporatione Magiſtri.

DEponendi ſunt apud D. Dec., vel D. Procanc. decem nummi aurei, ſeu libræ ſeptuaginta quinque diſtribuendę duplicata portione cum duplicatis Chyrotecis, & æqualiter PP. Mag. Participantibus l. 75.

Cæteris PP. Magiſt. pręſentibus, & infirmis Florentiæ chyrotecæ ſolummodo

Bidello libræ duę l. 2.

Pro Baccalaurei receptione.

DEponantur, vt ſupra nummi aurei quinque, vt ſupra etiam diſtribuendi D. Decano cum chyrotecis duplicata portione, & PP. Particip. æquali l. 37. 10.

Alijs omnibus PP. Magiſt. chyrotecæ vt ſupra.

Bidello iulij duo, ſeu libra vna, 6. 8. l. 1. 6. 8.

Quando autem fit Magiſt. in Vniuerſ., & vt Magiſter recipitur ab Vniuerſ. Flor. deponendi ſunt alij quinque nummi aurei diſtribuendi PP. Decano, & Participantibus, vt ſupra l. 37. 10.

Bidello iulij duo l. 1. 6. 8.

Quod totum intelligendum eſt quando de tota maſſa currenti extrahendum non eſt aliquid pro expenſis factis, vel faciendis pro Collegio tam ordinarijs, quam extraordinarijs, iuxtà declarationem poſi-

eam cap. 11., niſi aliter prouideatur, & decernatur à PP.

Pro Laurea, ſeu receptione ſolemni vrgentiſſima de cauſa facienda more Nobiliſtarum, iuxta aliarum Vniuerſitatum ſtatuta.

OMnia duplicantur, tum in Laurea, tum receptione pro honorarijs vnicuique debitis, ſcilicet pecunia, & chyrotecæ, vt capite ſeptimo præſcribitur.

Pro laureando à Collegio, vel pro fide idoneitatis facienda.

ACcipiens tale priuilegium, vel teſtimonium, ad libitum ſolum tenetur aliquod gratitudinis ſignum Collegio exhibere, propter hoc congregato, ex cap. 12.

Autentica atteſtatio PP. Magiſtrorum, qui ſpecialiter deputati fuere pro reimprimendis Conſtitutionibus.

SIt notum omnibus PP. Magiſtris, ac Baccalaureis Vniuerſit. Florent. tam præſentibus, quam futuris, qualiter die 19. Auguſti decurrentis anni 1683. fuiſſe congregatos, priuſque euocatos per Bidellum, à R. Ad. D. Decano Raphaele Badio Ord. Præd. in Conuentu S. M. Nouellæ de Flor. hora 21. ſubſcriptos duodecim PP. Magiſtros, & Doctores præfatæ Vniu. eiſque intelligibili, & clara voce fuiſſe perlectas antepoſitas Conſtitutiones, & Decreta à primo vſque ad vltimum, & potiſſimum ea, quæ eis addita, vel declarata fuerunt ſpecialiter ab anno 1614. in quo primò fuerunt illæ impreſſæ, ſuiſque proprijs adaptata capitulis, cum allegatione anni, ſeu temporis eorum emanationis, vel confirmationis; Hocque iuxtà præſcriptum olim propoſitum ab eodem prælibato D. Dec. ſub die 29. Ianuar. 1683. ab Incarn., nec non Decretum ab omnibus PP. Mag. qui in capitulo prędicti Conuentus tali die interfuerunt vnanimi voto factum viua voce. Quare pro rei indubia veritate, atq; omnimoda firmitate prædictorum, ſeruatis iam alias ſeruandis, præcipuè quoad impreſſionis facultatem, &c. se ſubſcripſerunt omni meliori modo confirmantes, atque cæterorum omnium pręfatorum PP. Magiſtr. nomine, & voto approbantes, ac rata habentes omnia, & ſingula in quindecim capitibus Conſtitution. vt ſupra comprehenſa, eiſq; addita, propriam ſinguli apponendo manum; Pro cuius etiam rei

nu-

maiori teſtimonio, & prędictorum omnium, ſolito sigillo Vniuerſit. totum hoc firmatum eſt, addito albo poſtmodum omnium, & ſingulorum PP. Magiſtror., ſeu DD. Vniuerſit. auredictæ, qui adfuerunt, & etiam eorum, qui defuerunt die pręfato anniuerſarij 29. Ianuar 1683. celebrati, ſolum tribus prætermiſſis à prædicta die pręmortuis; cum abſentes communi conſenſu comprobaſſe omnia ſint cenſendi iuxtà eaſdem noſtras Conſtit. vigore Diplomatis Caroli IV. Flor. in præfato Conuentu, die, & anno ſupraſcriptis. In quorum fidem, &c.

Ita eſt ego F. Raphael Badius Ordin. Prędic. Decanus Vniuerſit. Florent. manu propria.

Ita eſt ego F. Proſper Bernardius de Flor. Ord. Seru. m. p.

Ita eſt ego F. Dominicus Maria de Brancaccinis Ord. Ser. m. p.

Ita eſt ego F. Io: Baptiſta Parigi Ord. Præd. m. p.

Ita eſt ego F. Benedictus Borgiotti Carmel. m. p.

Ita eſt ego Hippolytus Tonelli m. p.

Ita eſt ego F. Franciſcus Benfatti Ord. Erem. S. Aug. m. p.

Ita eſt ego D. Valentinus Calzolari Vallumbroſ. Abbas S. Battholomæi de Ripolis m. p.

Ita eſt ego Matthæus Strozza Canon. Flor. m. p.

Ita eſt ego Andreas Quarateſi Canon. Flor. m. p.

Ita eſt ego F. Henricus Noris Ord. Erem. S. Aug. m. p.

Ita eſt ego M. Io: Paulus Bimbacci Mon. Vallumbroſ. m. p.

Ita eſt ego Io: Iacobus Meſcoli m. p.

Loco ✠ Sigilli.

Ego M. D. Io: Paulus Bimbacci Monac. Vallumbroſ. A. V. F. Theologus, ac Procancell. hac mea publicæ atteſtationis ſubſcriptione in verbo veritatis affirmo, vt ſupra, &c. Hac die 19. Auguſti 1683.

Mag. D. Io: Paulus ſuprad. manu propria.

AL-

ALBVM EXCELLENTISS. PP. THEOL. ALMÆ FLOR. VNIV. Viuentium hoc Anno 1683. tempore Reimpreſſionis harum Conſt. eiuſd. Vniu. iuxtà annorum ſeriem, & cooptationem in ea.

1674. EXcell. P. M. Raphael Badius Ord. Præd. Decanus.
1642. Dionyſius Campana Seruita.
1643. Proſper Bernardi Seruita Prouincial Tuſciæ.
1644. Io. Baptiſta Cini Patritius Flor.
1646. Carolus Pierucci Clericus Flor.
1650. Bartholomæus Medici S. Steph. Æques ac Reu. Can. Flor.
Dominicus Maria Brancaccini Seruita.
Iulius Arrighetti Seru. Reu. Vic. Gen. Apoſt. & Gen. electus
1651. Io: Baptiſta Parigi Ord. Pręd.
1652. Eliſeus Bambagini Seruita.
1653. Angelus Guarnacci Seruita.
Angelicus Marzocchi Seruita.
Rodulphus Foraſaſſi Reu. Abbas Vallumbroſ.
Nazarius Anſetti Vallumbroſ.
1654. Manſuetus Briſon Reu. Abbas Vallumbroſ.
1655. Franciſcus Pandolfini Reu. Canonic. Flor.
1656. Ludouicus Malaſpina Illuſtr. ac Reu. Epiſc. Biturgiæ.
1657. Andreas Ceccherini Carmelita.
1658. Alexander Argigli Auguſtin.
1659. Iacobus Pelli Reu. Can. Florent.
Benedictus Borgiotti Carmelita.
Dominicus Baldi Clericus Florent.
1660. Albertus Petri Carmelita.
Laurentius Vannozzi Minorita.
Baſilius Baſſi Carmelita.
1661. Vincentius Marucelli Reu. Canon. Flor.
Henricus Fiorauanti Ord. Præd.
1662. Franciſcus Carleſchi Cler. Aretinus.
Io. Baptiſta Nutini Seruita.
Coſmus della Bella Seruita.

1663.

1663. Auguſtinus Bacherelli Seruita.
Aurelius Fiorauanti Auguſtinianus.
1664. Franc. M. del Riccio Reu. Abb. Gener. electus Ap. Camald.
Leo Strozzi Reu. Abbas Vallumbroſ.
Benedictus Nuti Cleric. Flor.
Stephanus Seraualli Carmelita.
1665. Io. Dominicus Turriti Ord. Præd.
1666. Hippolytus Tonelli Cleric. Flor.
Andreas Reſtaurand Auguſtin.
Franciſcus Benfatti Auguſtin.
1667. Benedictus Senſi Cler. Flor.
Valentinus Calzolari Reu. Abbas Vallumbroſ.
Vincentius Ticciati Vallumbroſ.
Io. Paulus Giulianetti Minorita Reu. Inquiſitor.
1668. Stephanus Quercetani Ord. Præd.
Io. Iacobus Caleppi Vallumbroſ.
1669. Hyacinthus Maria Crocetti Camald.
Lucas Tornaquinci Reu. Canon. Flor.
Petrus Franciſcus Pettiroſſi Cler. Feſul.
Ioſeph Maria Quilici Carmel. Vic. Gen. Cong. Mant.
1670. Laurentius Paſſignani Caſſin.
Matthæus Strozzi Can. Flor. Illuſtr. ac Reu. Intern. Apoſt.
Ioachim Sobolini Cler. Collenſ.
Io. Franciſcus Micheraſſi Cler. Flor.
1671. Andreas Quarateſi Reu. Canon. Flor.
Iacobus à Valle Auguſtin.
Anſelmus Galtelli Auguſtin.
Paulus Mariani Auguſtin.
Io. Dominicus del Bruno Cleric. Flor.
Paulus Philippus Baldigiani Cler. Flor.
Fridericus Giannetti Canon. S. Laurentij.
1672. Franciſcus Berton Auguſtin.
Albertus Maria Roſſi Minorita.
Philippus Giaiacopi Cler. Flor.
Hieronymus Rinieri Cler. Flor.

Vin-

Vincentius Ciani Cler. Flor.
Michael Angelus Botelli Carmelita.
1673. Leonardus Conti Cler. Flor.
Hyacinthus della Rena Ord. Præd.
Petrus Franciſcus Bruchi Cler. Flor.
Vincentius del Riccio Cler. Flor.
Paſchalis Pagnani Vallumbroſ.
Dominicus Tortori Cler. Feſul.
Alexander Thei Cler. Flor.
Henricus de Noris Auguſtin.
1674. Io. Franciſcus Poggi Seruita.
Dominicus Pugliani Carmelita.
Ioſeph Bicchierai Cler. Flor.
Io. Franciſcus Gualtieri Auguſtin.
Michael Angelus Bambagini Reu. Abbas Vallumbroſ.
Ambroſius Genouini Vallumbroſ.
Io. Paulus Bimbacci Vallumbroſ.
1675. Laurentius Ventij Cler. Flor.
1677. Io. Iacobus Meſcoli Cler. Flor.
1678. Petrus Franciſcus Biſcioni Cler. Flor.
Antonius Franciſcus Laurentius Caramelli Camald.
Ignatius Grazini Camald.
Gregorius Aloyſius Tonelli Seruita.
Felix del Riccio Seruita.
Franciſcus Vanni Cleric. Flor.
Io. Baptiſta Aſſirelli Minorita.
Martinus Angelus Franchi Camald.
Anſelmus Segni Seruita Baccal.
Hyacinthus Alberti Seruita.
Antonius Clemens Pugliani Carmelita.
1679. Marcus Roſſi Cler. Flor.
1680. Filitius Pizzichi Cler. Flor.
Petrus Antonius Roſſi Seruita.
Michael Angelus Cortigiani Epiſc. Miniatenſis.
1681. Timotheus Dauanzati Oliuetanus.

Petrus Merlini Auguſtin.
Andreas Barducci Cler. Flor.
Laurentius Fabbroni Cler. Flor.
Ferdinandus Chelli Carmelita.
Alphonſus Foggini Vallumbroſ.
1682. Bartholomæus Piallacci Cler Flor.
Horatius Bardi Reu. Canon. Flor.
Gherardus Capaſſi Seruita.
Antonius Serantoni Cler. Flor.
Supradd. PP. Mag. omnes ſunt octo ſupra centum, & Baccal. vnus hac die 9. Octobr. 1683.

INDICVLVS EXCELLENTISS. PP. MAGISTROR.
Qui noſtris temporibus Laurea donati ſunt in Florent. Vniuerſ.

1625. LElius Cherici de Aretio Ord. Seru. 12. Iulij.
1641. Albertus de Capua Carm. 3. Auguſti.
Bernardinus Ruuina Carm. Congr. Mant. 4. Febr.
1641. Darius de Petris Præpoſitus Radicondolenſis 16, Febr.
1644. Ioannes Gaſparus Appius ex Vecho Germanus 17. Octob.
1646. Carolus Trenta Lucenſ. Ord. Seru. 6. Maij.
1650. Cherubinus Vanni Lucenſ. Ord. Ser. 9. Maij.
1651. Fridericus Luchefini Lucenſ. Ord. Seru. 8. Maij.
1652. Philippus Canterini Lucenſ. Ord. Seru. 4. Iunij.
1654. Franciſcus Pichi Cler. Biturg. 15. Iulij.
Coſmus Bonamici Ord. Ser. 6. Maij, &
Petrus Saluetti eiuſdem Ord.
1656. Ludouicus Garzoni Lucen. Ord. Seru. 18. Maij.
1657. Ioſeph Maria Gagliani Ord. Seru. 18. Auguſti.
Petrus Thomas della Vigna Siculus Carm. 9. Septemb.
1658. Ioannes Vierius Ord. Seru. 28. Iunij.
Cammillus Creti Apulus è terra Martignani Carm. 10. Octob.
1659. Vincentius Coſta Siculus Carm. 24. April.
1660. Aloyſius Antonius Regi Carm. 30. April.
Hieronymus Anſoſſi Carm. 10. Iunij.

An-

Angelus Maria Malaſpina Carm 4. Septembr.
Eliſeus Serrouita Carm. 30. Octobr.
1662. Henricus Venturini Senen. Carmel. 17. Septemb.
1663. Io. Baptiſta Fiorini de Fiuizano Carm. 12. Nouemb.
1670. Ioannes de Ventaia Bęthicus Hyſpanus Carm. 27. Iunij.
Io. Baptiſta Celleſi Præpoſitus Piſtor. 30. Septembr.
1673 Auguſtinus Marmochi Cler. Collen 17. Aug.
1682. Io. Baptiſta de Italianis Can. Aret. 6. Nouembr.

M. D. Io. Paulus Bimbacci Mon. Vallumbr. A. V. F. Theologus, & Procancellarius.

SYLLABVS DD. EPISCOPORVM, ET ARCHIEPISCOPORVM

Eccleſiæ Florentinæ, qui Florentinam Vniuerſitatem ab eius initio, vſque ad noſtra tempora, ope, protectione, vel Præfectura decorauere. Ex Vincentio Borghino, & Ferdinando Vghello tom. 3. Ital. Sacra.

Angelus Acciaiolus 41. Epiſc. Flor. Ord. Præd. qui ſummo ſtudio procurauit Vniuerſitatis prædictæ inſtitutionem, atque erectionem,
Franciſcus de Actis S. R. Eccleſiæ tit. S. Marci.
Philippus Antellenſis Flor.
Petrus Corſinus S. R. E. Card. tit. SS. Laurentij, & Damaſi, Prim: Præſidens, & Præfectus Imperialis à Carlo IV. Imperat. declaratus 1364.
Angelus Fiebindaccius de Ricaſolis.
Angelus Acciaiolus II. S. R. E. Cardinalis tit. S. Laurentij in Damaſo.
Bartholomæus Vlarius Ord. Min. S. R. E. Card. tit. S. Pudentianæ.
Onuphrius Steccutus, vel de Biſdominis Ord. Erem. S. Auguſtini Doctor Theologus Vniuerſitatis.
Alamannus Adimarius S. R. E. Card. tit. S. Euſebij.
Iacobus Palladinus.

Franciſcus Zabarella S. R. E. Card. tit. SS. Coſmi, & Damiani

Archiepiſcopi.

AMericus Corſinus I. Archiepiſcopus.

Ioannes Vitelleſcus S. R. E. Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina.

Ludouicus Scarampius, ſeu Media Rota S. R. E. Card. tit. S. Laurentij in Damaſo.

Bartholomæus Zabarella.

S. Antoninus filius Ser Nicolai Sacr. Ord. Præd. dictus d. Vniuerſ. Cancellarius.

Orlandus Bonarlius.

Ioannes Neronius.

Petrus Riarius Ord. Min. S. R. E. Card. tit. S. Sixti.

Raynaldus Vrſinus.

Coſmus Pazzius.

Iulius Medices, qui à Leone X impetrauit Diplomatis Imperialis Caroli IV. confimationem anno 1515. poſteà Summus Pontifex Clemens VII.

Nicolaus Rodulphius S. R. E. Card. tit. S. Mariæ in Via.

Andreas Bondelmontius.

Antonius Altouita.

Alexander Medices, poſteà Summ. Pont. Leo XI.

Alexander Martius Medices.

Coſmus Bardius ex Comitibus Vernij.

Petrus Nicolinus.

Franciſcus Nerlius S. R. E. Card. tit. S. Bartholomæi in Inſula.

Franciſcus Nerlius nepos S. R. E. Cardinalis tit. S. Matthæi in Merulana.

Iacobus Antonius Morigia Patritius Mediolanenſis ex Cler. Reg. Barnab. Congregationis S. Pauli, iàm Epiſc. Miniatenſis.

AL-

ALBVM EXCELLENTISS. MAGISTR. THEOLOGORVM,

qui iuxta electionis annos in Florent. Vniuerſ. Decanatus dignitate decorati fuere ab anno 1424 *, cum anteà ob iniuriam temporum, aliorum perierit recordatio, & ſeries.*

1424, Ant. de Aretio Ord. Min.
1425. Onuphrius de Aſinis Flor Ord. Min.
1426. Michael Ord. Seru.
1427. Franciſcus Mellinus de Flor. Ord. Erem.
1428. Vbaldus de Flor. Or. Pręd
1429. Hieron. de Flor. Or. Pręd.
1430. Antonius Fedis de Flor. Epiſc. Saonen. Carmel.
1431. Auguſtinus Zenobij de Flor. Ord. Erem.
1432. Petrus à Prato Carm.
1433. Ioan. de Flor. Ord. Min.
1434. Laur. de Flor. Or. Pręd.
1435. Hieron. de Flor. Or. Seru.
1436. Iulianus de Flor. Carm.
1441. Franc. dictus Paduanus Or. Min.

Ab iſto anno, vſq; ad 1444. *non fuit factus alius Decanus peſte graſſante ob PP. Magiſtr. paucitatem.*

1444. Franciſcus Antonij de Flor. Ord. Erem.
1445. Gulielmus Becchius Flor Ord. Erem.
1447. Nicolaus Spinellius de Flor. Ord. Min.
1448. Iacobus Bartholomęi de Flor. Ord. Erem.
1449. Bartholom. Maſi Carm.
1450. Iacobus Georgij D. Iacobi Bladæ Ord. Min.
1451. Thomas Quercetanus Ord. Pręd.
1452. Angelus Laurentij Pauli de Flor. Ord. Præd.
1453. Philippus de Flor. Or. Er.
1454. Blaſius de Mazuris de Flor. Carmel.
1455. D. Mathęus de Flor. Ord. Seru. Epiſc. Cortonenſis.
1456. Stephanus Benincaſa de Flor. Ord. Præd.
1457. Matthæus Dominici de Fucecchio Ord. Min.
1458. Sanctes de Marcialla Ord. Erem.
1459. Bartholom. Petri de Palmerijs de Flor. Carmel.
1460. Stephanus de Burgo S. Sepulcri Ord. Seru.
1461. Silueſter Franc. de Flor. Ord. Prædic.
1462. Nicolaus de Bartholis de Flor. Ord. Min.
1463. D. Marianus Saluinus Or. Seru. Epiſc. Cortonen.
1464. Gabriel Dominici de Flor. Ord. Præd.
1465. Bernard. de Vulterr. Er.

1466. Bartholom. de S. Seuerino de Mediolano Or. Ser.
1467. Bartholom. Io: Forcenſis de Marchia Ord. Min.
1468. Vincentius Cõti de Flor. Vallumb. Abb. S. Pancr.
1469. Io: Carli de Flor. Or. Pr.
1470. Gulielmus Nicolai de Flor. Ord. Prǫd.
1471. Franciſcus Dantis Guidonis de Caſtilione Cl. Fl.
1472. Antonius Papi Americi de Medicis Ord. Min.
1473. Iulianus Philippi Carm.
1474. Dominicus de Attanãtis de Flor. Ord. Min.
1475. Andreas de Trottis de Alexandria Ord. Erem.
1476. Andr. de Fiuizano O. Er.
1477. Antonius Thomæ de Schianteſibus Ord. Prǫd.
1479. Bartholom. de Monte Politiano Ord. Seru.
1480. Antonius Lottus Canon. S. Laurentij.
1481. Dominicus Romuli de Scarperia Ord. Erem.
1482. Nicolaus de Piſtorio Prouinc. Tuſciæ Ord. Seru.
1483. Michael de Empor. O. Er.
1484. Martinus Antonij de Fl. Ord. Humiliat.
1485. Io: Marci de Flor. Or. Ser.
1485. Bernardinus Bartholom. Lapacci de Barduccis Chericinis de Flor. Ord Min. vſq; ad ann. 1488.
1489. Petrus de Fighino Or. M.
1490. Bartholom. Cini de Flor. Ord. Min.
1491. Alexander Io: de Barduccis de Flor. Ord. Min.
1492. Timotheus de Bonaccurſis de Flor. Ord. Seru.
1493. Paul. de Fucecchio O, M.
1494 Barthol. Franciſci Cl. Fl.
(Benedictus Marci Bandi-
(chi de Flor. Erem.
1495 (Domninus Philippi de
(Domnino de Fl. Carm.
1496. Petr. Martini de Fl. Car.
1497. Dauid Hieronymus de Flor. Carmelit.
1498. Angelus Andreæ de Caſtinis Carmel.
1499. Matthæus Franciſci de Tornijs Ord. Ser.
1500. Nicolaus Ioan: de Aſt de Flor. Ord. Erem.
1501. Sebaſtianus Michaelis de Buontempis Ord. Præd.
1502. Timotheus Philippi de Bonacurſis de Fl. Or. Ser.
1503. Gherardus Laurentij de Flor. Ord. Min.
1505. Sebaſtianus Ord. Ser.
1506. Alexander Bartholomæi Ord. Præd.
1507. Franc. Bernardi Or. Prǫd.
1058. Hieron. de Cortonio Or. Erem.

1510. Iacobus de Monte Falco Ord. Erem. Perdurauit, vt Prodecanus ob interdictũ, vt patet ex pergameno codice Baccalaureorum fol. obſign. C.
1513. Cornelius Ord. Seru.
1514. Nicolaus Ioannis Aſten. Ord. Erem.
1515. Iacobus Ord. Seru.
1516. Thomas Ser Antonij de Reate Ord. Pręd.
1517. Alexander Bartholomęi de Coppinis Ord. Seru.
1518. Antonius de Serriſtoris d. de Fighino Ord. Min.
1519. Antonius Michaelis Oliui de Flor. Ord. Præd.
1522. Romulus ser Laurentij de Flor. Ord. Seru.
1525. Petr. de Terranoua O. M.
1526. Chriſtophorus Io:
1557. Andreas de Paganuccis de Flor. Ord. Ser. per bienniũ.
1529. Arcangelus Ioan: de Flor. Ord. Præd. Perdurauit propter bellum.
1531. Franciſcus de Fl. Odr. Et.
1532. Dominicus ser Iacobi de Aiollis Ord. Pręd.
1533. Alexander Blaſij de Saccis Carmel. Ad bienniũ.
1535. Athanaſius Ord. Seru.
1536. Zacharias de El. Or. Ser.
1537. Maurus Flor. iam Ordin. Humiliat. tunc Ord. Seru.
1538. Raphael Franciſci de Fl. d. de mõte Morello Or. Pr.
1539. Victorius Matthęi de Fl. Ord. Præd. permanſit in officio vſq; ad ann. 1541. ob interdictum.
1541. Romulus Ord. Seru.
1542. Raphael Sanninus Or. M.
1543. Sanctes de S. Caſſiano Ord. Præd.
1544. Mariottus Angeli Romei Bellauanti de Flor. Or. Pr.
1545. Liberius Bernardi de Brãdolinis de Flor. Or. Pr.
1546. Rodulphus Ord. Seru.
1547. Laur. Sebaſtiani Or. Pręd
1548. Hieronymus de Florentiola Ord. Seru.
1549. Andreas Volaterranus Ord. Erem.
1550. Albertus Parthus de Monte Catino Carmel.
1552. Franciſcus de Aſtudillo Cleric. Hyſpanus.
1553. Iulianus Carmelita.
1554. Benedictus Buſinus de Flor. Ord. Erem.
1555. Michaelangelus Naldinus Ord. Seru.
1556. Arcangelus Priorinus Fl Ord. Seru.
1557. Nicolaus de Sandrellis Flor. Prouinc. Ord. Erem.
1558. Ægidius Borſius de Flor. Ord. Er.

1559. Iacobus Tauantius Ord. Seru. Ab iſtó anno vſq;ad ſequentem nō legitur alia Decani electio.
1565. Zacharias de Flor. Prior Gener. Seru. & Vniuerſit. Patriæ Conſeruator.
1566. Simon Ioannis de Riſtoris de Flor. Ord. Erem.
1567. Eliſeus Biffolus Fl Or. Se.
1568. Paulus Rondinus Carm.
1569. Damianus Folchius de Flor. Ord. Seru.
1570. Clemens Thomaſinus de Flor. Ord. Min.
1571. Sebaſtianus Turrianus Puppienſis Ord. Min.
1572. Aloyſius Pazzius de Flor. Ord. Min.
1373. Vincentius de Fl. Or. Er.
1574. Damianus de Flor. Ord. Seru. per biennium.
1576. Iacobus de Flor. Eremit.
1577. Aloyſius Flor. Eremit.
1578. Nicolaus Aurificus Sen. Carmel.
1579. Io: Baptiſta Librantius Budrienſis Ord. Seru.
1580. Sebaſtianus Flor. Or. Ser.
1581. Io: Baptiſta Arrigus Fl. Ord. Erem.
1581. Titus Naſius Ord. Seru.
1583 Laurentius Flor. Ord. Er.
1584. Antonius Taſſi à Burgo S. Laurentij Ord. Min.
1585. Vincentius de Granchinis Flor. Ord. Min.
1586. Auguſtinus Flor. Erem.
1587. Romulus Flor. Ord. Ser.
1588. Dominicus Siluanus à Balneo S. Marię Ord Ser.
1589. Thomas Boninſegna Sen. Ord. Præd. Theol. Vn. Fl.
1590. Arcangelus Gianius Fl. Ord. Seru.
1591. Franciſcus Maria de Bardellis Ord. Ser.
1592. Simon de Ceſtis Fl. O. M.
1593. Iulius de Oliuis de Flor. Ord. Seru.
1594. Philippus Tanuccius de Flor. Ord. Seru.
1595. Baſilius Oliuius de Flor. Prouinc. Ord. Seru.
1596. Aurelius Milaneſij de Flor. Carmel.
1597. Michael Cecchius de Flor. Eremit.
1598. Alexand. de Flor. Or. Ser.
1599. Antonius à Scarparia Er.
1600. Aurelius Riſalitus Flor. Ord. Seru.
1601. Dionyſius Ord. Ser.
1602. Ioannes de Vais de Prato Ord. Seru.
1603. Antonius Zenobius Balleonius de Flor. Ord. Ser.
1604. Stephanus Ord. Carm.
1605. Eliſeus Mazzonius de Flor. Ord. Seru.

1606. Benedictus Paulinus O.S.
1607. Caliſtus Mazzius Fl.O.S.
1608. Philippus Maria Or. Ser.
1609. Nicolaus Gaglius Car.
1610. Philippus Petrolinus de Cortona Ord. Ser.
1611. Leonardus Lauacchius Flor. Ord. Min.
1613. Fidelis Corſettus à Puppio Vallumbr.
1614. N. N.
1615. Ioannes Viteſius Ord. Se.
1616. Dominicus Ghiſius Cl. Flor.
1617. Aurelius Milaneſius Car.
1618. Proſper Mãnotius O.S Fl.
1619. Stephanus Arbinotus Gallus Prou. Erem.
1620. Albertus de Rutilentijs Ord. Seru.
1621. Dionyſius Bollinzonus Lucenſ. Ord. Seru.
1622. Dionyſius Buſſottus Flor. Ord. Seru.
1623. Franciſcus Falagianus de Flor. Ord. Min.
1624. Hippolytus Cerbonius Abb. Vallumbr.
1625. Albertus de Bertis Cl.Fl.
1626. Bartholomęus Procacciolus Ord. Min.
1627. Nicolaus Saluccius Car.
1628. Titus Saltinus Fl.Or.Se.
1629. Io. Baptiſta Rabut Erem.
1630. Bonauentura Coloneſius Flor. Ord. Min.
1631. Gherardus Baldius Flor. Ord. Seru.
1632. Angelus Maria Bindius Ord. Ser.
1633. Anſelmus Graſſenus O.S.
1634. Lucas Cecchius Or. Ser.
1635. Simplicianus de Duccis Ord. Erem.
1636. Rodulphus Gugliantini Ord. Ser.
1637. Hieronymus Roſatus Fl. Prothon. Apoſt.
1638. Dionyſius Lottus à Focecchio Vallumbr.
1639. Adrianus del Beccuto Abb. Vallumbr.
1640. Eugenius de Iubileis Car.
1641. Hipolytus Sesoldius Empor. Prou. Carm.
1642. Carolus Caſinus Flor. Ord. Ser.
1643. Hyacinthus Maria Poggius Ord. Ser.
1644. Iuſtinianus de Marſilijs Vallumbr.
1645. Maurus Curſius Ab.Cã.
1646. Carolus Borromeus Car.
1647. Michael Traballeſius Erem. S. Auguſt.
1648. Io. Marchettus Pręp.Feſ.
1649. Io. Franciſcus Laſcouizzius Ord. Min.
1650. Albertus Galganettus Pleb. S. Steph. de Cãpolio
1651. Ceſar. Vãnozius Ab. Ciſt.
1652. Auguſtinus Bacharellus Ord. Ser.

1653. Ioannes Bindocci Abbas Vallumbr.

1654. Cherubinus Malaſpina Ord. Præd.

1655. Lelius Mela Ordinis Seruorum.

1656. Tiberius Petraccius Vallumbroſ.

1657. Ioannes Gualbertus Tozzius Cler. Flor.

1658. Petrus Paulus Gherardius Ord. Seru.

1639. Ferdinandus Maria Guccius Ord. Ser.

1660. Maurus Curſius Abbas Camald.

1661. Hyacinthus Maria Softegnus Carm.

1662. Io. Dominicus Leonius Ord. Præd.

1663. Ferdinandus Boninus Carmel.

1664. Edmundus Perinellus Ferrar. Ciſterc.

1665. Hieronymus Gaddius Or. Prædic.

1666 Alexander Argiglius Erem. S. Auguſt.

1667. Dominicus Baldius Cler. Flor.

1668. Andréas Softegnius Carmelit.

1669. Coſmus della Bella Ord. Seruor.

1670. Fridericus Fridericus Abbas Vallumbr.

1671. Franciſcus Benfattus Teutonicus Er. S. Aug.

1672. Paulus Mariani Erem. S. Auguſt.

1673. Aurelius Florauantes Erem. S. Aug.

1674. Albertus Cameratus Carmel.

1675. Io. Dominicus Turritus Ord. Pręd.

1676. Io. Iacobus Caleppi Vallumbroſ.

1677. Michael Angelus Botellus Carm.

1678. Hyacinthus Maria Crocettus Camald.

1679. Albertus M. Roſſius Ord. Minor.

1680. Petrus Franciſcus Bruchius Cler. Flor.

1681. Vincentius del Riccio Cler. Flor.

1682. Raphaël Badius Ordin Prædic.

DE CLARIS VIRIS
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRIS, ET BACCALAVREIS

Qui, vel ſingulari probitate, eruditione, vel eccleſiaſtica dignitate fulgentes maximum, & Flor. Vniuerſ. ac ſibi olim compararunt

CATALOGVS.

Omnibus Sacræ Theologiæ Magiſtris nunc in ea cooptatis, à Decano compilatore eorum minimo conſultiſſimè dicatus.

CLari viri, de quibus modò in noſtrarum Conſtitutionum reimpreſſione ampliorem inſtituere intendimus enarrationem (commilitones incliti, collegæq; in eo, qui eſt vera ſapientia amatiſſimi) cum ſint ſpectatæ virtutis præclara germina, quæ affatim ex noſtra Vniuerſ. Florent. veluti de florenti, cultoq; Viridario promanarunt, non niſi vobis aptiùs, atq; congruentius offerendam, dicandamq; exiſtimauimus. Suſcipere itaq; haud non dedignemini eodem hilari animo, quo catalogum eorum pro viribus auctum, illuſtratũq; magis, vobis offerre, ac cordis manu porrigere audemus, vt quiſque veſtrum apertius dignoſcere queat quam veriſſimum ſit, quod in calce antiquioris enarrationis perlegendum poſteritati reliquit Fidelis Corſettus, olim Decanus digniſſimus anteceſſor noſter, qui primùm eam ann. 1614. conficiendam, imprimendamque curauit, ſiquidem re vera; vt ibi habetur: *Hæ ſunt laudis emeritæ, quam nec lethæa quiuerit adhuc vmbra ſubmergere per illuſtres P P. noſtrorum ſucceſſiones: Hi ſunt ex hoc noſtro almo Collegio à ſuis crepundijs ad hæc noſtra tempora, verè, & iure Magiſtri, atque Baccalaurei veris ſolidarum virtutum baccis meritò laureati omni digni laudatione, qui præ cæteris in re literaria tantopere inſudarunt, vt nefas hoc tempore arbitraremur, & nos, ſi eorumdem promeritæ gloriæ palma, aut noſtra iniuria differretur, aut omninò præriperetur.* Æquiſſimum hoc itaque ar-

bitrantes (omiſſa viuentium Magiſtrorum , qui inter vos iam fama celebres , ac virtute preclari euaſerunt , enarratione) imitantes , qui nos præceſſerunt compilatores cum eis , & nos ſecuti diuinum monitum illud : * *Ante mortem ne laudes hominemquempiam*, cum finis non pugna , opus coronet , viſum eſt ſapienter cum eiſdem tantummodo illorum , qui vita iam functi ſunt laudabili ; quorum adhuc nanciſci potuimus nomina , in hunc referre Catalogum , ſeù veriùs Necrologium, ac ea de ipſis, quę memoranda videntur tali conſilio cum eiſdem ferè carptim recenſere , vt hinc poſteritati pateat aditus , vt nobis euenit , ad eos in album ſimiliter referendos , æternitariq; viciſſim dicandos, qui adhuc inter nos ſuperſtites maiorum inherentes veſtigijs , præteritorumq; virtutem , ac glorioſa facinora vehementer æmulantes , non deſinunt , & ſibimet ipſis pro Dei gloria, eiuſque Eccleſiæ perenne quotidiè nomen comparare . Quod ſi illos , quos licuit iam primò ab obliuione vindicare anno prædicto, non temerè , ac fortuitò , ſed matura quadam fuit præſtitum obſeruatione colligendo ſupra nonaginta eorum ex faſtis , quæ præſertìm adhuc Vniuerſitati ſuperſunt ab anno 1424. , partìm ex catalogo illuſtr. Scriptorum Florent. , partìm verò ex ſingulis Regularium Ordinum , quibus ipſa noſtra conflatur Vniuerſitas , excerpſerunt monumentis, non mediocri profectò ſtudio , ac labore A. R. P.M. Archangeli Gianij S. Ord. Seru. B. Mariæ, olim noſtri Collegij perilluſtris alumni , percelebris ſuæ inclitæ familiæ Annaliſtæ ; Ità , & nos ſtudio , & labori , etiam ope aliorum eruditione præſtantium non prætermiſſa , non pepercimus vlli , ne haud imperfecta omninò euaderet intenta præſens enarratio , vt magis , magiſq; vnam , atque alteram non raptim proſpiciendo, liquidò patefiet. Per multa addita, pauca immutata , & hoc neceſſariò ; inueniet profectò , non quia facilè , experti ſimus eſſe inuentis addere , ſed quia opportùnum fuit adiudicatum , vt hiſtorica veritas , quæ non facilè inuenitur regulariter , ſuum , vt par erat , hic obtineret locum ; ſine qua omnis

labor

* Eccleſ. c. 11. 30.

labor, & ſi improbus, caſſus ſapientibus videtur, & vanus omninò merito iudicatur. *Si quid igitur ex hoc, tam vobis præſentibus ſapientię amatoribus, quam futuris eiuſdem cultoribus, aut imitandi exempli, aut appetendæ gloriæ, Promptuario vtilitatis acceſſerit, & commodi, id totum ad S. Dionyſij Areop. honorem, ſub cuius protectionis pennis ſperamus Vniuerſi, non minus officioſè, quam piè in eum prorſus referatur, qui cum ſit fons omnis ſapientiæ, eſt etiam ſacroſ. Theologiæ vnicus Author, atq; verè Magiſt.* Vltima ſunt hæc verba veteris catalogi, & vota ſimul eorum, qui illum tàm ſapienter, tamque prudenter ſunt elaborati; hoc idem in votis tantummodo habemus, & nos, vobis omnibus eum offerentes, emendandum adminus, ſi aliqua correctione digna irrepſere fueritis deprehenſi. Valete in eo, qui eſt via, veritas, & vita. Cuius bono omine, & indefectibili ope *Laudemus Viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Ordine, qui ſequitur Alphabetico, ſit ergo.

A

ADamus, ſeu Adamantius Flor. Ord. Erem. S. Auguſt. Vir Theologus nulli ſecundus, Gręco, Hebraico, Chaldæo, omniumque ſacro idiomate apprimè verſatus, nec non liberalibus artibus plenè excultus, poſtquam 18. Kal. Iulij 1565. Vniuerſit. Florentinæ nomen dediſſet, Gregorio XIII. iubente Romã accitus, *Thalmud Hebręorum emendauit, ac Gloſſis, quampluribus elucidauit.* Fuit quoque inter PP. Theol. Sac. Concil. Trident. adnumeratus, atque ibi pro Catholica Heluetiorum Republ. Oratoris functus munere, orationemq; coram PP. habitus; Tandem meritis refertus, obijt 17. Ianuar. 1582. in Vrbe, ibique apud ſuos ſepultus. Ex Philippo Elſsio in Encomiaſt. Auguſtin.

Adrianus Mannoctius Flor. Seruita Pontificio diplomate Pauli V. Summ. Pontif. 22. Februarij 1614. laureatus, anno eodem 20. Martij die, noſtræ Almæ Vniuerſitati aggregatur, prudentiali ſolertia, mira in munijs obeundis dexteritate, Sereniſs.

Col-

Coſmo II. Magno Etruriç Duci charus, Bonifacij celebris Flor. Xenodochij, & S. Mariæ Innocentum Hoſpitalarij exercuit haud illaudabiliter præfecturam, iam in Religione etiam multis inſignitus honoribus, piorumque lacrymis parentatus, vicinus anno 67. ſuæ ætat. occubuit 6. kal. Febr. 1633. ſed potiſſimum confratrum ſuorum, quorum fuit Præfectus, perpetuò plus quam munificus in cænobio D. Annunc. vbi inſigni fuit laudatus Oratione funebri, Theolog. aſſidente noſtro Collegio.

Adrianus del Beccuto Flor. Vallumbr. Nonis Nouembr. 1627. propriæ ſapientiæ dedit, ità clarum ſpecimen, vt communi plauſu, & calculo ab omnibus Magiſtris Doctorali laurea digniſſimus ſit adiudicatus, quarè nemine penitus diſcrepante ea inſignitus, eorum adſcriptus eſt cætui, illiuſq; Dec. meritiſſimus anno 1639. inter alia ſuç prudentiæ ſigna ſingulare fuit teſtimoniũ, declaratio, quam fieri procurauit nonnullarũ ambiguitatũ, quæ in noſtris reperiebãtur Conſtitutionibus cum aliquot proficuis decertis. Magiſter in Paſſinianenſi inſigni Monaſterio vndequaquè doctiſſimus, tyrones multos benè inſtruxit, ſanaq; imbuit doctrina iàm edoctus adoleſcens ab Arcangelo de Magiſtris prçclaro Theologo Dominicano, qui diù ibidem fructuoſè edocuit Theologiam eiuſdẽ Monachos, S. Officij Couſultor, Archiepiſc. Flor. & Feſul. Antiſtitis extitit promouendorum ad ſacra Examinator. Vigeſimi Abbas prudenter præfuit, diemque ſuum vidit extremum Flor. anno 1652. ætat. ſuç 52. Eiuſdem extat impreſſum Flor. 1628. Poema etruſco ſermone editum, *Vexillum*, conſcriptum, & alia digna.

Albertus Rutilenſius Florent. Seruita, die 20. Iulij 1612. aulatus, ſimulque in Vniuerſit. adſcriptus meritò, Baccalaureus iàm Romam accitus, vt vnà cum Henrico Burgo in generalibus comitijs ſui Ordinis publicis adſiſteret diſputationibus, Oblectatus eſt Mathematicis. Aſtronomus, & Aſtrologus plura haud aereè prædixit prædicenda, typis *metheorologicum mandauit tractatum; Symbolum explicuit Apoſtolorum, doctaſque lectiones Bibliothecç D. Annunciatæ M. S. reliquit*, ſexagenario maior deuixit 24. Iulij die, anno 1640. vt ſuper aſtra volitaret.

Al-

Albizius Nerlius Flor. Azolini fil. Ord. Carm., non minoris exempli, quam egregiæ doctrinæ Vir ſingularis, poſt receptos in Florent. Vniuerſ. emeritos Doctoratus honores 11. Kal. Nouemb. 1391., tantæ fuit apud ſuos PP. extimationis, & authoritatis habitus, vt duo, & viginti annos (quod mirum videtur) adminiſtrandæ in ſuo Ordine Prouin. Tuſciæ vigilanti animo, & prudentia præfuerit, multis intetim ad Religioſorum inſtitutionem, & præſertim *de quatuor Virtutibus Cardin. in lucem Opuſc.* editis, deceſſit 1428.

Aldobrandinus Caualcantes Flor. Eremit. S. Auguſt. præcipuus ſacræ paginæ Doctor, & Eccleſiaſtes inſignis, Vniuerſit. Patriæ alumnus, *multas edidit perutiles Conciones*, quæ in S. Spiritus habentur Bibliotheca, de cuius eruditione, & ſtudijs plura in catalogo illuſtr. ſcript. Flor. viuebat anno 1385. ex Elſſio.

Alexander Machiauellius Flor. Ord. Min. 18. Kal. Iulij 1565. in Floren. Vniuerſ. cooptatus Sereniſs. Coſmi Primi Mag. Etrur. Ducis, cum ob egregias virtutes, qnibus per totam Italiam concionando enituit, tùm ob vitæ innocentiam, à ſecretis, & confeſſionibus, nec non in Inquiſitionis Florentini Dominij officio ſnmma cum religione, & vigilantia functus, deuixit poſtridie kal. Maij anno 1565.

Alexander Medices Sereniſs. Etruriæ Principum cùm affinis, tùm apud Apoſt. Sedem primùm Orator, mox Epiſc. Piſtorienſis, deindè Flor. Archiep. & S.R.E. Card., tandemq; Sum. Pontif. Leo XI., Eccleſiæ oſtenſus magis, quàm datus, & ſi ad Vniu. Patriam non videatur ſpectare, quod theologalia ſigna in ea non ſuſceperit, tamèn, quod concordi hiuiuſmodi Theologorum de ſua idoneitate olim approbatione iuxtà ſac. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reformat. c. 2., certam, publicamq; fidem receperit, in album, ad præcipuam, perennemq; eiuſdem Vniuerſit. gloriam, cuius fuit Moderator poſteà, iure meritò reponendns videtur.

Alexius Strozzius Flor. Vbertini fil. Ord. Prǫd., Patriǫ adſcriptus Vniuerſ. 6. Kal. Ianu. 1413. & 14,0. Prodecanus, in eiuſdem etiam clarorum Virorum meritò ſuum ſibi vendicat locum,

talis

talis enim tantoque ingenij acumine viguit, vt de rebus penè omnibus rectè loqui, & de ſingulis optimè iudicare poſſet. In liberalibus artibus eruditiſſimum, in sæcularibus negocijs miro modo induſtrium, in Mathematicis argutiſſimum, in Aritmetica, & Geometria probatiſſimum, referunt antiqua monumenta cœnobij S.M. Nouellæ cuius fuit nobile germē, abſq; cuius ſententia nil faciendum ſibi vlla ratione proponebant Philippus Brunelleſcus miræ teſtitudinis, quæ ad Metropolis ſacram Ædem Florentinæ prominet, fabrefactor egregius, & Laurentius Bartholuccius fabrorum ingenioſiſſimus. Inter ea autem, quæ religioni dicatos tangunt, dicitur tanta gratia decoratus, vt parem non haberet inter confratres, vel non facilè conſimilem reperturum. Obijt tantus Vir menſe Octobr. 1447. peſte ſublatus: Ex Ioan: Carlio in Vita Alexij antiquioris eiuſdem gentis Ven. viri.

Aloyſius Marſilius Eremit. S. Auguſt. æquè de Vniuerſitate, ac Repub. Florent. benemeritus, pro qua apud ſummos Principes Oratoris officio, & frequenter, & feliciter functus publicis in maiori ſacra Æde monumentis picturatis, & ſtatua conſimili donari promeruit anno 1388., & ſimul meritis laudibus exornari ab inſigni Leonardo Aretino in Dial. ad Petrum Hiſtrum, qui m.s. legitur in Bibliot. Magliabechiana, vbi doctiſſimus Coluccius Salutatus inter alia ſapientiam tanti Viri admiratus, exclamat. *Nequibat animum meum illius Viri explere præſentia. Quanta in illo, Dij Immortales! dicendi Vis? quanta copia? quanta rerum memoria? Tenebat enim non ſolum ea, quæ ad Religionem ſpectant, ſed etiam iſta, quæ appellamus gentilia, ſemper ille Ciceronem, Virgilium, Senecam, alioſque veteres habebat in ore. Nec ſolum eorum opiniones, atq; ſententias, ſed etiam verba perſæpe ſic proferebat, vt non ab alio ſumpta, ſed ab ipſo facta viderentur. Nihil vnquàm ad illum poteram afferre, quod ſibi nouum videretur, omnia iam pridem ſpectata habebat, & cognita. At ego multa ab eo audiui, multa didici, multa etiam, de quibus ambigebam, illius Viri auctoritate confirmaui, &c.* Hoc nobile hominis acri ingenio, & eloquentia ſingularis teſtimonio

nio cum multa alia comprehendat, pro omnibus illis ſatis ſit.

Aloyſius Pazzius Illuſtriſs. Florent. familiæ dignum germen Ord. Min. noſtrę aſcitus Vniuerſ. 18. Kal. Iulij 1565. actualiter Inquiſitoris Gener. pro S. Sede Apoſt. perfungens munere, nam anno 1561. annotatus apparet in Inquiſitorem catalogo, & anno 1572. in Decanorum Collegij noſtri ſerie præfulget.

Ambroſius de Ambroſijs Pratenſis Carm. in Piſana Academia anno 1577. die 20. Iulij iam Theologus Doctor effectus, in Florentina anno 1597. 13 Iunij incorporatus euaſit, omni alio etiam honore dignus ſummæ eruditionis vir, ac probitatis, qui poſtquam per quinquaginta annos ferè diuerſas Italię plagas aſſiduè ſuis ſacris declamationibus peragraſſet, varioſq; in ſua Religione emeritos recepiſſet honores, ad Dominum, gloriam recepturus migrauit 6. Idus Ianuarii 1622. omnium ſummo dolore, nobili pompa aſſociatus ad tumulum in Eccleſ. Carm. Flor. ſequenti die à PP. Collegii, pro meritis laudatus à P. Mag. Alberto Rutilenſio Seruita elegantiſſimo Oratore.

Andreas Iacobi Volaterranus Auguſtin. inſtituti 7. Idus Octobr. 1548. in Vniuerſit. cooptatus, tantæ eruditionis, & eloquentię fuit, vt dignus ſit habitus Orationem habere anno 1563. 19. Auguſti, ſicut, & habuit in Tridentina Synodo, teſtatamque reliquit pietatem, ſapientiamque ſuam anno 1572. in libro, quem compoſuit *De cura filiorum habenda*, *Bononiæ impreſſo apud Alexandrum Benocium*, ex Elſſio Decanus an. 1549.

Andreas Emporienſis eiuſdem inſtituti ab Vniuerſit. Flor. die 8. Iunij 1515, admiſſus ad legendum Sentent. tamquam Baccalaureus, prout tunc erat aſſuetum, circa Domini annum 1533. fundauit Monaſterium Montis Catinenſis S. Mariæ à Ripa Burgi ſub regimine modò Piſcienſis Prępoſiti, ac anno 1542. Pęnitentiarium extitiſſe Domini Papæ, refert Elſſius.

Andreas Chariterius Flor. d. Ord. dignus ab eo ob eximiã doctrinã adiudicatus Magiſtr. conſcendendi cathedrã, & poſteà ann. 1567. conſedendi in patria Vniuerſ. eam colluſtraſſe accipitur catholica prędicatione, ea apud Italos celeberrimus, atq; *Apologia ad Edmundũ Augeriũ Soc. Ieſu Lugd.* 1570. *excuſa*; *Ex ſupplem Bibl. Geſn.* Flor. deuixit an. 1592. solẽnibus inferijs, ele-

ganti oratione, magnoq; populi concurſu, vt decebat, cohoneſtatus in funere, corã Contheol. & Cõfrat. ſuis cõmærentib.

Angelus Cataſtinus Flor. Andreę fil. Carm. 18. Kal. Iulij 1484. in Vniuerſ. receptus, doctrina magis, an prudentia præfulſerit, dubitabile reputatur, cum eius ſpeculandi, & ſapienter operandi ſtudiũ foret, latinæ, & grçcæ linguæ æquè peritus, & in inſectãdis hęreticorũ erroribus, & controuerſijs *Vrbi, & Venetijs libros ſui ingenij, ſuaq; pietatis teſtes edidit*, mortuus Florentiæ 1529.

Angelus Florent. Laurentij Pauli fil. Ordin. Præd. 17. Kal. Ianu. 1449. inauguratus Magiſter in hoc patrio Collegio iam in eiuſdem Baccalaureorum ſerie conſcriptus, ſingularis literaturæ, prædicationis, ac ſpectatę prudentiæ vir venerabilis, literis indeſinenter operam dedit, prædicationi verò pluribus in Ciuitatibus, in quibus optimi Declamatoris famam ſibi comparauit, præcipuè Ianuæ. Ob prudentiæ ſingularis laudem præfuit S. M. Nouellæ cænobio, nec non Vicarius non ſemel Nationis, & Prouinciæ extitit ſui Ordinis, alijs præclarè etiam functus honoribus, maioribus dignus; Vita functus eſt tandem pluſquam deuotè die 23. Auguſti 1466. Necrol. S. M. Nouellæ num. 664.

Angelus Ciofius Florent. Ord. Pręd. de virtute in virtutem ſemper excreſcens, priùs in Vniuerſ. anno 1544. 14. Octob. Baccalaurei inſignitus gradu, poſtmodum Magiſtri die 8. Iulij 1546. Declamator gratioſus, & eloquens non minus, quam ſanæ doctrinæ Theologus à D. Cardin. Hercule Gonzaga probè cognitus, ad Tridentinam Synodum Legatò, in eiuſdem Theologorum numero aggregari, & ſimul intereſſe meruit. Mantuæ 1561. occubuit, vt in S.M. Nouellæ Necr. num. 897. refertur.

Angelus à Corſiniano Pientinus dictus Ord. Prędic. ob prçclaras animi dotes ab Vniuerſit. exceptus Kal. Iunij 1585. pietate, doctrinaq; ità enituit, vt Antonij Altouitæ, & Alexandri Medices Florent. Archipræſulum à ſacris ſit ſuffectus; Multa edidit, quæ typis mandata, ac in Bibliotheca Dominicana recenſita, prçclarum ſuæ ſapientiæ teſtimonium exibere perpetuò valent, ſicut ſuæ prudentię exibuerunt regimina, quæ exercu-

it,

it,Simulq; verbi Dei declamatio,quam facundè diu habuit,potiſſimum Vrbeueteri,vbi communi plauſu inter Ciues illius fuit annumeratus,deceſſit 1589.kalen.Oct. S.M.N. Necrol.n. 945.

Angelus Maria Monturſius Seruita inter sacros Vniuerſit. coriphæos, Magiſtrales honores poſt publicam, diſſertamq; multorum Theorematum diſceptationem in sacra D. Annunciatę Æde per manus Iacobi Tauantij præfati inſtituti Generalis, toto adſiſtente, ac comprobante Collegio, adeptus pridie nonas Nouemb. 1576. Multa aſſiduè lucubrauit, quæ in ſui Cęnobij habentur Bibliotheca, ſed pręcipuè in *quatuor libros ſentent., quorum primum typis Flor. mandauit*, tandem ſui Ordinis Generalem præfecturam coactus adminiſtrare, immaturo obitu Romæ probitate etiam pręclarus, vt vita eius euulgata teſtatur, defecit ſept. kalen. Martij 1599. ſuę ętatis anno 52. Gianius 2. p. Annal. luculenter.

Anſelmus Graſſenus Seruita, 14. Kal. Iulij 1625. dignè laureatus, atq; in Vniuerſit. libenti animo receptus, Vir præclarus, doctus, ac benemeritus, pręfuit prudenter ſuo Florent. cęnobio, Prouincięq; Tuſcię, quam laudabiliter rexit, Bibliothecarius poſtmodum Sereniſs.ac Reuerendiſs.Card. Caroli Principis ab Etruria, Aulæq; eius à Confeſſionibus, quibus in muneribus deuixit die 24. Iunij 1651. ætatis ſuę anno 57. magna pompa, & non minori dolore PP. Collegarum, qui funeri interfuerunt in magnæ Matris Annunciatæ templo.

Antonius Mannuccius Flor.Seruita,Lutetię Pariſiorum Doctoratus inſignia cum ſuſcepiſſet,Florentięq;plurimis,iiſq; acerrimis literarum concertationibus frequenter egregiam ſibi famam compararet, in Vniuerſit.meruit cooptari anno 1371. maximus illius ęui Eccleſiaſtes in sacra maiori Æde facundus, eleganſq; Florent. Reipub. Orator, & Theologus ſchiſmatis tempore, tandem iam Moderator General. ſui Ordinis ann. 1387. deceſſit. Gianius p. pr. Ann. plura de eo.

Antonius Fidei Florent. Ordin. Carmel. poſt decora Magiſterij in Vniuerſit. honoroficè ſuſcepta, cum diuerſas Mundi partes ſuis ſubtiliſſimis diſceptationibus, sacriſq; concionibus aſſiduè

peragraſſet, cognita demùm ab Apoſtolica Sede cum ingenij acumine innocentis vitæ probitate, Epiſcopus 34. Suanenſis creatus, & Collegij quoq; Decanus 1430. Deceſſit 1434. ex Vghellio tom. 3. Ital. sac.

Antonius Nomius de Marcialla Flor. Erem. S. Auguſt. anno 1414. conuentatus, magnum ſibi comparauit nomen in Italia, Theologiam in diuerſis profeſſus Collegijs, prudentięq; laudem in muneribus multis, ac regiminibus in ſuo perfunctus inſtituto, inter quæ fuit generalis Procuratoris dignitas anno 1434. Ob quam etiam ad Sum. Pontifices, Chriſtianoſq; Principes à Floren. Republica fuit ſępe legationibus honeſtatus. Reliquit ſui vaſti ingenij monumentum, librum, quem inſcripſit *Flores doctrinę S. P. Auguſtini*, qui extare dicitur in S. Spiritus Bibliotheca Florentię, vbi deceſſit 28. Auguſti 1438. honorifico marmoreo sepulcro in eiuſdem cęnobij periſtylio tumulatus pro meritis. Philippus Elſius, & ab eo relati, cum Poccianti.

Antonius Nerius de Aretio Ord. Min. anno 1413. kal. Maij aulatus, & adſcriptus Vniuerſit., Apoſtolicus Concionator, Doctorq; Pariſienſis, ob eminentem ſcientiam, dicendiq; modum in precipuis Italiæ Vrbibus quinquaginta annis, è quib us quatuordecim Flor. eloquenter, & fructuosè declamauit; anno 1450. ad Dominum migrauit, ſui ingenij teſtimonia reliquens *Comment. in quatuor ſententiarum libros, varioſque ſermones ad populum*, ex Luca Vuaddingo, & Mariano Flor.

Antonius Loctus S. Laurentij de Florentia Canonicus, poſt approbationem Vniuerſitatis ad lecturam Magiſtri ſentent. 6. Idus Octobris, Baccalaureique Collegij declarationem, vt mos illorum temporum erat, annulo tandem magiſtrali meritò inſignitus, ineunte tempore, illa met ætate doctiſſimus, eiuſdemque Vniuerſitatis meritiſſimus electus fuit Dec. anno 1480.

Antonius Medices Florent. Min. Ord. magiſtrali corona in Vniuerſitate donatus 6. Kalen. Febr. 1460. eiuſdemque Decanus 1472. sacræ Theologiæ Doctor inſignis, ſingulariſque Eccleſiaſtes, poſt Tuſciæ pro ſua Rligione miniſterium, Marſicanam adeptus eſt Inſulam, in qua, anno non dũ exacto exceſſit 1485.

scrip-

ſcriptas relinquēs *Annotationes in vniuerſā Bibliā*,ſūmo labore, præter plura deperdita,quę cōfecit,ex Pocciantio,extant illę in Bibliot. S. Crucis Flor. Vghellus tom.7. Ital.ſac.Vuad. & alij.

Antonius Puccinus de Piſtorio Erem. Auguſt· conſultò, & meritò iure aulatus anno 1464. 12. Iunij, & 10. Octobris anni ſequentis huic Vniuerſitati adſcriptus, nam doctiſſimum virum annales ſui Ordinis appellant, & Errera tom. 1. Alphabeti, propter quod dignè exercuiſſe refertur, in cauſa fidei, & prædicanda Cruci ita grauiſſimum Commiſſarij munus, & digniſſimum onus; Ex Elſſio, & Aloyſio Torello.

AntoniusProtaſij Alabanthus Bononien.Ord.Seru.in Patrio Collegio decoratus magiſtrali aula 16. kal. Martij 1460. quod ſibi obtigiſſet Cœnobij Flor. adminiſtratio, curauit in Vniuerſitatem conſcribi 14.Kal.Iunij 1446. cuius virtutes,& prudentiam benè experta Seruitana Religio Generalem ſibi delegit Præfectum anno 1485., qui religioſè,& non ſine magnis incrementes vſque ad ſui repentini obitus diem 8·Dicemb. 1495.,adminiſtrauit; ità vt S. P. Philippum Benitium in regendo tantummodo Superiorem habuiſſe referatur. Ex Gianio in Annal.p. 2. vbi multa tanto viro digna.

Antonius Cynotius Ord.Min. adſcriptus Vniuer.5.Id.Iunij 1515. Reipub.Flor.declamator facundus,& elegans,in totoq;Florentino Dominio S.Inquiſit.Gener.Prętectus,anno 1560.deuixit.

Antonius Shiatteſius Flor.Ord.Pręd.Senis an. 1460. 16.Febr. die aulatus,& noſtrę addictus Vniuer. an. 1466. 19. Maij, eiuſque Decanus an. 1477. ob doctrinæ eminentiam, ac Diuini verbi gratiam, quam feliciter eſt aſſecutus, in multis Italiæ præcipuis Vrbibus, Declamator Apoſt. admiratus meritò fuit vſque ad ſuæ vitæ periodum,ad quam, ſemper prædicando, peruenit, non ſine ſingulari labore,complexione grauis,ſtudioq;conſumptus. Præfuit vltra triennium Conuentui Flor.S.M.N., Generaliſque Synodi, ac Prouincialis ſuæ Religionis Definitor, vitam laudabilem finiuit an. 1482. 11. Octob. ſuæ ætatis an. 53. honorificè, vt par erat, tumulatus. Necrolog. S.M.N. n. 699.

Antonius Franciſcus Danius Flor. Seruita Nonis Maij 1650. Magiſter

giſter meritò salutatus, & incorporatus à Collegio, natus ad omnia, literarum ſtudijs præfuit. In Piſano Lyceo publicè Theologiam profeſſus. Aritmeticus numerum contemplatus eſt ſonorum. Moderator Muſices ſacras cantiones, nonnullos Dauidicos pſalmos, amabili ſuauique concentu concordauit. Interijt eos in æternum cantaturus apud Dominum, vt ſperamus, die 29. Nouemb. anno 1654. Piſano in cænobio æt. 37.

Arcangelus Ioannis de Florentia Ord. Præd. ob ſedulam in ſtudijs nauatam operam Ponormi, atque Bononiæ à primæuo ſuæ religioſæ iuuentutis, in Vrbe gradatim ad Magiſterij feliciter aſcendit gradum, in patria poſtmodum Vniuerſitate 1524. 14. Kal. Martij meritò aſcitus, cuius tandem ferè per triennium exercuit Decani munus. Conuentui S. M. Nouellæ bis laudabiliter præfuit, ſemel Generalis Romanus Vicarius, pluries alijs regiminibus egregiè perfunctus, ſimul cum gratioſi declamatoris verbi Dei munere, ſemper communis boni ſuæ Religionis zelator, ſimulque omnibus pergratus vſquè ad ſenium, vitam compleuit Florentiæ 8. Idus. Iunij 1560. Necrolog. prædicti Conuentus num. 883.

Arcangelus Priorinus Flor. cognomento Bruſculus à Bruſculi arce in Appenninorum Iugo, vbi ei primus effulſit dies, Ser., Senis primum 1551. mox Flor. 11. kal. Aug. Vniuerſ. fauore condecoratus, & poſtmodum honore Decanat. anno 1556. inſignis Theologus, ſapientiæ, facundiæ, & eloquentiæ preſtantia declamator ſanè primarius, ſex, & quadraginta annorum curſu celebriora Italiæ loca concionando vſquè in Dalmatiam peragrauit, totinſque ſui Ordinis aliquando Vicarius, ac Generalis Viſitator, multa poſteris reliquit ingenij, & profeſſionis ſuæ teſtimonia, *De Diuina Prædeſtinatione ad mentem S S. P P.*, *Lectiones in Symbolum Apoſtol. in Decalogum*, *de Verbis Domini*, *aliaque quam plurima, præter Quadrageſimales, & annuales conciones*, quæ in eius D. Annunciatę cænobio aſſeruantur Flor. in quo piis tandem laboribus feſſus quieuit 15. Kal. Nouemb. 1574. ætatis ſuę 62. Plura diſtinctè de tanto viro Bocchius in Elogio ipſo ſanè condigno lib. 2. pag. 9.

Ar-

Arcangelus Gianius Florent. Seru. 27. Iunij die 1582. Theologorum numero, & patrio Collegio adiunctus, illud doctrina, & moribus cohoneſtare ſtuduit, annoque 1590. Decanatus honore, pro quo etiam anno 1614. laboraſſe vidimus pro eiuſdem augendo ſplendore, & conficiendo ferè ſolus priorem clarorum virorum catalogum nonaginta, & amplius iàm comprehendentem, & cum vndecim alijs PP. Mag. à Fideli Corſetto tunc Decano delectis, primę impreſſioni Conſtitutionum intendendo, ob pręſtantiam pręcipuè, quam habere dignoſcebatur, inter cętera ipſius decumata ſtudia, in antiquarum rerum diſquirenda, & aſſerenda veritate; Cuius quidem rei teſtimonium perpetuum exiſtent Annales ſuæ sacrę Familię impreſſi duobus tomis in fol., omiſſo elencho cæterorum operum eius partim editorum, partim eorum, quæ extant m. s. Dignus proptereà, qui & Apoſtolici Prothonotarij nomen ſuſciperet, & Prouinciæ Tuſciæ præfecturam ſumma cum laude exerceret, ſicut & munus Vicarij Generalis, ac Viſitatoris Prouinc. Mantuan. Mortalitatem expleuit in patrio cænobio 24. die Decembris 1623. cum Chriſto nato in terris, naſciturus in Cœlo, funerali Oratione laudatus poſtea aſſidente Collegio in inferijs pro eo habitis pridie Kal. Ianuarij, non tamen ſatis pro tanti viri præclaris meritis, atq; laboribus, de quibus ipſe in Annal.

Auguſtinus Cautius de Cremona Auguſtin. Laurea donatus Magiſtrali in hac Vniuerſ. anno 1429. 7. kal. Maij, aggregatus prius antecedenti anno, vt Baccalaureus 23. Nouemb. die, anno 1432., Regens Ianuenſis dignus extitit, poſtmodum à ſecretis ſupremi ſuæ Religionis Pręfecti, & tandem anno 1438. Proantiſtes, & officialis Cremonenſis Antiſtitis. Elſſius.

Auguſtinus Philippus Flor. Ordin Seru. Magiſterij ſuſceptis inſignijs, & in Vniuerſ. cooptatus nono kal. Maij 1507. Virtutum quodammodo Encyclopędia ornatus, & in Romano gymnaſio Theologiam publicè profeſſus, ſuique Ordinis diù Generalis Procurator in curia; Inter ea, quæ poſteris lucubrauit, *orationes omnibus numeris abſoluta circumferuntur*, quas diuerſis in locis, vt erat Orator facundus, & elegans, & præſertim

tim coram Summ. Pontif. Iulio II. & Leone X. frequenter habuerat. Deceſſit Romę 1517., ætatis ſuæ 78.

Auguſtinus Gotuccius de Aretio, dictus ab alijs de Monte S. Sabini Aretinæ Diœceſis, Seruita, poſt emeritos Magiſterij honores in Ariminenſi Capitulo Generali ſui Ordinis anno 1573. 10. die Maij receptos, eodem anno 10. Kal. Nouemb. à noſtra Vniuerſit. fuit inter ſuorum alumnos adſcriptus, & poſtmodum à Senenſi Collegio anno 1587. dum naturalem Philoſophiam in eadē Academia publicè explicaret ad concurrentiā D. Iugurthæ Thomaſij, Bononię an. 1602. ſingularis doctrinę cumulatus meritis, deuixit. Ex Gianio eius olim alumno 2. p. Annal. lib. 6. Vgurgerius in Monum. Vniuerſit. Senen.

Auguſtinus Vigianus Seruita celebrioribus non modò ſui inſtituti, verùm etiam cæterorum ſcholis præfuit, quos Theologicis, Metaphyſicis, Philoſophicis, ac Dialecticis plurimum illuſtrauit diſciplinis. Eccleſiaſticæ immunitatis (vt eius oſtendunt ſcripta) præſertim extitit propugnator acerrimus. Humanas adhuc literas minimè neglexit, cum proſa, verſuque multa declamauerit. Meritò itaq; noſtræ addictus Vniuerſit. poſtridie kal. Nouemb. 1607., obijt feliciter Flor. pridie kal. Sept. 1615., cōdigna oratione in inferijs corā Coll. laudatus.

B

Balthaſſar Raballinus à Flor. Abbas Vallumbroſ. 3. id. Octob. 1625. laurea, & Collegio donatus, doctiſſimus Theologus, & Philoſophus ſubtilis, vtriuſq; facultatis Magiſter in Monaſterio Paſſiniano, ac in Vrbe profundus, iam edoctus, ab Archangelo de Magiſtris ſanę doctrinæ Præceptore Ordin. Prædic.. Reliquit de ſe magni Oratoris famam ſingularem in tota ſua ſacr. Congregat., & apud exteros etiam, ob *plures perbellè habitas orationes*, *atq; Catalogi de Scriptor. eiuſd. inſtituti compilationē*. Ex Hippol. Cerbon. in vol. *de clar. Vir. Vall.* in Ripol. Monaſt. aſſeruato, pręter alia iā edita ab eo cōſcripto.

Bartholomæus Albiſius de Piſis Ord. Min. Omnigena præpollens ſcientia in Vniuerſ. album 1373. cōſcribi promeritus, de quo fertur 30. & eo amplius volumina conſcripſiſſe, quæ in catalo-

logo illuſtr. Minorum Petri à Tuſſiniano explicantur. Deceſſit circa annum 1395.

Bartholomęus Antonij Lapacci de Vbertinis ab alijs de Rimbertinis Flor. Ord. Præd. in Flor. albo Vniuerſit. relatus, vt Magiſter anno 1427 & ſuę æt. 28. kal. Ianu. iam præcedenti anno vt Baccalaureus dignisſimus receptus; Quantæ fuerit virtutis declarant pluſquam luculenter, Latina, Græca, Hebræaq; lingua, quibus cum doctrina polluit apud omnes, potiſſimum in S. Flor. Synodo, vbi clariſſimè demonſtrauit Græcorum errores, ità vt Patriarch. Conſtantinopol. Ioſephum ad fidem S. Rom. Eccl. induxerit, in qua paulò poſt deficiens, in S. M. Nouellæ fuit ſepultus templo, nec non contra Marcum Archiep Epheſinum Græcorum peritiſſimum maximè inualuit, non in funda quidem, & lapide, ſed in ſolo ſcripturæ verbo, cuius *Verbi Dux, & percelebris tuba* fuit nominatus ab Eugenio IV. à quo S. Pal. Magiſter, & poſteà Argolicenſis Epiſcopus effectus remanſit, deinde anno 1440. Cortonenſis, vbi vſque ad 1449. pręfuit, à Nicolao V. ad Eccleſiam translatus Coronenſem in Gręcia, cuius poſt regimen quietis percupidus reuerſus ad lares patrios, ea dimiſſa, poſt legationes Apoſtolicas in Vnghariam, Bohemiam, & Polloniam, iuſſu eiuſdem Pontif. ac celeberrimam diſputationem, quam habuit, etiam abſoluto Flor. Concilio coram Orientis Imperatore Coſtantinopolim, quò perexit, contra prędictum Marcum Epheſinum, quem ità confuſit, & conuicit, vt męrore, ac rubore repletus intra paucos dies obſtinatus fatò ceſſerit. Scripſit multa, & varia, quorum meminit Dominicana Bibliotheca, & catalogus ſcript. Flor. nonnulla eorum dicata Pio II. coramque perſepè orauit; Deuixit poſt tot raptim hic attacta merita Floren. S. Romuli Eccleſię Commendat. ſanctitatis odore poſt ſe relicto 24. Maij 1466. ſpeciali ſarcophago dignus in S. M. Nouellę sac. ęde cuius funeris pompa ita extitit nobilis, vt Archiepiſ. Flor. cum Proceribus, ac Ciuitate catteruatim confluxerit, habita Oratione ab Epiſc. Cortonenſi Mariano Seruit. pręſente etiam Volaterrano Antiſtite, & Pratenſi Prępoſito, vt ex Necrolog. Conu. S.

Cæſarius Vannozius Abb. Ciſterc. 6. Nonas Octobr. 163 . in Vniuerſit. Flor. laurea, & loco iuſtiſſime decoratus, nec non poſtmodum Decanatus munere ann. 1651. Inter cæteros eiuſdem Inſtituti Doctores noſtro adſcriptos Collegio, vt ſunt præcipuè Clemens Gauantus Mediolanenſis, & Edmundus Perinellius de Ferraria Abbates varia literatura inſignes, præcipuum ſibi hic vindicat locum, ob munus Præſidentis Generalis, quod præclarè geſſit, hoc iurè etiam expoſtulantibus virtutibus, ac ſcientijs, quibus emicuit, præſertim Mathematicis. Deceſſit Abbatię Mucellanęę Bonſolatij Pręfectus an. 1656.

Cherubinus ex Marchionibus Malaſpina Ord. Pred. iam Magiſter inauguratus, Collegio fuit addictus 17. kal. Febr. 1636. eiuſdemq; Decanus 1654. Literatura, ſpectataq; prudentia clarus, ſtudijs præfuit diù, ac regiminibus præfulſit in ordine principalioribus, regendo, vt Prior S.M. Nouellæ cænobium, Romanãq; Prouinciam, alijs omiſſis, quibus eſt ſemper peregregiè perfunctus, vſq; ad Pręſulatum Biturgenſis Eccleſię ab Alexandro VII., cui maximè erat pernota virtus, euocatus 30. Auguſti 1655., qua omnibus etiam ſuis ouibus pius Paſtor, ac bonus percarus euaſit vſq; ad vndecimum Epiſcopatus ſui annum, poſt quem mærentibus bonis, piè in Domino obdormiuit 14. Martij die 1666. tredecim ſuæ laudabilis, & inculpatæ vitæ luſtris peractis, tumulatus in ſua Eccleſia, funebrique nobili pompa poſteà anno 1669. die 16. Ianuarij cohoneſtatus Florentiæ in S. M. Nouellę templo à PP. Magiſtris, Orante eloquentiſſimè, & pro tanti Viri dignis meritis, Rodulpho Foraſacrio Vallumbroſ. meritiſsimo Abb., qui pro eo *Sepulcrale ſolatium* pluſquam ingenioſè elaborauit. Necrolog. dicti Conu. num. 1160.

Chriſtianus Vghellus Flor. Carmel. germanus frater pluſquam eruditi Viri Ferdinandi Abb. Ciſterc. laudabilis Scriptoris inſignis Operis Ital. Sac., cuius dilecti germani meritò meminit tom. 3. cum laude, iam Magiſtrali emerita donatus laurea à ſuo Generali Apoſtol. præuia facultate, plenis ſuffragijs inter PP. Collegij fuit enumeratus Theol. 2. Kal. Febr. 1627. egre-

giè

gio perſtringens tunc Piſani gymnaſij in Carmelit. cænobio Regentis munere, alijs poſtea titulis, ac honoribus ſucceſſiuè pro meritis apud ſuos confratres condecoratus, quos prudentia rexit, poſtquam inſignis Theologus eoſdem ſua ſapientia edocuerat.

Chriſtophorus Nouaria Iuſtinopolitanus Ord. Ser. cum Patauij nonis Iulij 1447. decora magiſtralia ſuſcepiſſet, Florentiam miſſus, vt illius cænobij ſtudium regeret, huic Vniuerſitati ob ſuas eximias virtutes 6. idus Octobris 1449. dicatus, demum ſui Ordinis Generalis effectus, Romæ interijt 1485.

Chriſtophorus Charius, aliàs Galganus Senen. Seruita receptus magiſtralia inſignia ab Vniuerſ. illique aggregatus 18. Kal. Iulij 1594. & poſtmodum Senenſi, cum fuerit vnus ex ſeptem præcipuis Theologiis ab inclita Seruorum B. Mariæ Familia delectis pro tuendis iuribus Sedis Apoſtolicæ Paulo V. Summ. Pontif. regnante, edendo vnà cum alijs librum, qui profecto fuit malleus aduerſariorum, clypeusque Pontificiæ Maieſtatis meritò iurè etiam inter claros viros noſtri Collegij eſt collocandus.

Clemens Thomaſinus Flor. Ord. Min. 18. kal. Iulij communi calculo Vniuerſitati addictus, Theologus profectò nulli ſecundus, Scoticæ doctrinæ vſquè adeò ſtudioſus, vt mirum de eo feratur illud, quod ſciſcitanti cuidam ex Diſcipulis ſuper aliquam dubitationem ex tempore, & memoriter librum, & omnia alia vſque ad apices indigitaret ſingillatim. Concilio Tridentino Theologus pro ſuo interfuit Ordine. Commiſſarius, ac Generalis Viſitator Conu. Minor, pluries ſuffectus, acerrimus in diſputando, ſuauis, & eloquens in concionibus, dum tandem Senis Theologiam publicè profiteretur, deceſſit anno 1582, perpetuis relictis ſuæ inſignis doctrinæ teſtimonijs, & claritatis, quæ omnia recenſentur à Franciſ. Bocchio in Elog lib. 2.

Coſmus Fauilla Flor. Seruita anno 1516. 5. Idus Auguſti bullatus à patrio Collegio præter diuinas literas, ſacroſque Canones quæ ex proprio inſtituto præſerti coluerat, mathematicis diſciplinis, humanioribus literis haud ſegniter indulſit, ſicut quàm plu-

rima

talis enim tantoque ingenij acumine viguit, vt de rebus penè omnibus rectè loqui, & de ſingulis optimè iudicare poſſet. In liberalibus artibus eruditiſſimum, in sæcularibus negocijs miro modo induſtrium, in Mathematicis argutiſſimum, in Aritmetica, & Geometria probatiſſimum, referunt antiqua monumenta cęnobij S.M. Nouellæ cuius fuit nobile germẽ, abſq; cuius ſententia nil faciendum ſibi vlla ratione proponebant Philippus Brunelleſcus miræ teſtitudinis, quæ ad Metropolis ſacram Ædem Florentinæ prõminet, fabrefactor egregius, & Laurentius Bartholuccius fabrorum ingenioſiſſimus. Inter ea autem, quæ religioni dicatos tangunt, dicitur tanta gratia decoratus, vt parem non haberet inter confratres, vel non facilè conſimilem reperturum. Obijt tantus Vir menſe Octobr. 1447. peſte ſublatus: Ex Ioan: Carlio in Vita Alexij antiquioris eiuſdem gentis Ven. viri.

Aloyſius Marſilius Eremit. S. Auguſt. æquè de Vniuerſitate, ac Repub. Florent. benemeritus, pro qua apud ſummos Principes Oratoris officio, & frequenter, & feliciter functus publicis in maiori ſacra Æde monumentis picturatis, & statua conſimili donari promeruit anno 1388., & ſimul meritis laudibus exornari ab inſigni Leonardo Aretino in Dial. ad Petrum Hiſtrum, qui m.s. legitur in Bibliot. Magliabechiana, vbi doctiſſimus Coluccius Salutatus inter alia ſapientiam tanti Viri admiratus, exclamat. *Nequibat animum meum illius Viri explerè præſentia. Quanta in illo, Dij Immortales! dicendi Vis? quanta copia? quanta rerum memoria? Tenebat enim non ſolum ea, quæ ad Religionem ſpectant, ſed etiam iſta, quæ appellamus gentilia, ſemper ille Ciceronem, Virgilium, Senecam, alioſque veteres habebat in ore. Nec ſolum eorum opiniones, atq; ſententias, ſed etiam verba perſæpe ſic proferebat, vt non ab alio ſumpta, ſed ab ipſo facta viderentur. Nihil vnquàm ad illum poteram afferre, quod ſibi nouum videretur, omnia iam pridem ſpectata habebat, & cognita. At ego multa ab eo audiui, multa didici, multa etiam, de quibus ambigebam, illius Viri auctoritate confirmaui, &c.* Hoc nobile hominis acri ingenio, & eloquentia ſingularis teſtimonio

nio eum multa alia comprehendat, pro omnibus illis ſatis ſit.

Aloyſius Pazzius Illuſtriſs. Florent. familiæ dignum germen Ord. Min. noſtrę aſcitus Vniuerſ. 18. Kal. Iulij 1565. actualiter Inquiſitoris Gener. pro S. Sede Apoſt. perfungens munere, nam anno 1561. annotatus apparet. in Inquiſitorem catalogo, & anno 1572. in Decanorum Collegij noſtri ſerie præfulget.

Ambroſius de Ambroſijs Pratenſis Carm. in Piſana Academia anno 1577. die 20. Iulij iam Theologus Doctor effectus, in Florentina anno 1597. 13 Iunij incorporatus euaſit, omni alio etiam honore dignus ſummæ eruditionis vir, ac probitatis, qui poſtquam per quinquaginta annos ferè diuerſas Italię plagas aſſiduè ſuis ſacris declamationibus peragraſſet, varioſq; in ſua Religione emeritos recepiſſet honores, ad Dominum, gloriam recepturus migrauit 6. Idus Ianuarii 1622. omnium ſummo dolore, nobili pompa aſſociatus ad tumulum in Eccleſ. Carm. Flor. ſequeuti die à PP. Collegii, pro meritis laudatus à P. Mag. Alberto Rutilenſio Seruitæ elegantiſſimo Oratore.

Andreas Iacobi Volaterranus Auguſtin. inſtituti 7. Idus Octobr. 1548. in Vniuerſit. cooptatus, tantæ eruditionis, & eloquentię fuit, vt dignus ſit habitus Orationem habere anno 1563. 19. Auguſti, ſicut, & habuit in Tridentina Synodo, teſtatamque reliquit pietatem, ſapientiamque ſuam anno 1572. in libro, quem compoſuit *De cura filiorum habenda, Bononiæ impreſſo apud Alexandrum Benocium*, ex Elſſio Decanus an. 1549.

Andreas Emporienſis eiuſdem inſtituti ab Vniuerſit. Flor. die 8. Iunij 1515, admiſſus ad legendum Sentent. tamquam Baccalaureus, prout tunc erat aſſuetum, circa Domini annum 1533. fundauit Monaſterium Montis Catinenſis S. Mariæ à Ripa Burgi ſub regimine modò Piſcienſis Prępoſiti, ac anno 1542. Pęnitentiarium extitiſſe Domini Papæ, refert Elſſius.

Andreas Chariterius Flor. d. Ord. dignus ab eo ob eximiã doctrinã adiudicatus Magiſtr. conſcendendi cathedrã, & poſteà ann. 1567. conſedendi in patria Vniuerſ. eam colluſtraſſe accipitur catholica prędicatione, ea apud Italos celeberrimus, atq; *Apologia ad Edmundũ Augeriũ Soc. Ieſu Lugd.* 1570. *excuſa*; *Ex ſupplem Bibl. Geſn.* Flor. deuixit an. 1592. solẽnibus inferijs, ele-

ganti oratione, magnoq; populi concurſu, vt decebat, cohoneſtatus in funere, corā Contheol. & Cōfrat. ſuis cōmęrentib.

Angelus Cataſtinus Flor. Andreę fil. Carm. 18. Kal. Iulij 1484. in Vniuerſ. receptus, doctrina magis, an prudentia præfulſerit, dubitabile reputatur, cum eius ſpeculandi, & ſapienter operandi ſtudiū foret, latinæ, & gręcæ linguæ æquè peritus, & in inſectādis hęreticorū erroribus, & controuerſijs *Vrbi, & Venetijs libros ſui ingenij, ſuaq; pietatis teſtes edidit*, mortuus Florentiæ 1529.

Angelus Florent. Laurentij Pauli fil. Ordin. Præd. 17. Kal. Ianu. 1449. inauguratus Magiſter in hoc patrio Collegio iam in eiuſdem Baccalaureorum ſerie conſcriptus, ſingularis literaturæ, prædicationis, ac ſpectatę prudentiæ vir venerabilis, literis indeſinenter operam dedit, prædicationi verò pluribus in Ciuitatibus, in quibus optimi Declamatoris famam ſibi comparauit, præcipuè Ianuæ. Ob prudentiæ ſingularis laudem præfuit S. M. Nouellæ cænobio, nec non Vicarius non ſemel Nationis, & Prouinciæ extitit ſui Ordinis, alijs præclarè etiam functus honoribus, maioribus dignus; Vita functus eſt tandem pluſquam deuotè die 23. Auguſti 1466. Necrol. S. M. Nouellæ num. 664.

Angelus Cioſius Florent. Ord. Pręd. de virtute in virtutem ſemper excreſcens, priùs in Vniuerſ. anno 1544. 14. Octob. Baccalaurei inſignitus gradu, poſtmodum Magiſtri die 8. Iulij 1546. Declamator gratioſus, & eloquens non minus, quam ſanæ doctrinæ Theologus à D. Cardin. Hercule Gonzaga probè cognitus, ad Tridentinam Synodum Legatò, in eiuſdem Theologorum numero aggregari, & ſimul intereſſe meruit. Mantuæ 1561. occubuit, vt in S. M. Nouellæ Necr. num. 897. refertur.

Angelus à Corſiniano Pientinus dictus Ord. Prędic. ob pręclaras animi dotes ab Vniuerſit. exceptus Kal. Iunij 1585. pietate, doctrinaq; ità enituit, vt Antonij Altouitæ, & Alexandri Medices Florent. Archipræſulum à ſacris ſit ſuffectus; Multa edidit, quæ typis mandata, ac in Bibliotheca Dominicana recenſita, pręclarum ſuæ ſapientiæ teſtimonium exibere perpetuò valent, ſicut ſuæ prudentię exibuerunt regimina, quæ exercu-

it,

it,Simulq; verbi Dei declamatio,quam facundè diu habuit,potiſſimum Vrbeueteri,vbi communi plauſu inter Ciues illius fuit annumeratus,deceſſit 1589.kalen.Oct. S.M.N. Necrol.n. 945.

Angelus Maria Monturſius Seruita inter ſacros Vniuerſit. coriphæos, Magiſtrales honores poſt publicam, diſſertamq; multorum Theorematum diſceptationem in ſacra D. Annunciatę Æde per manus Iacobi Tauantij præfati inſtituti Generalis, toto adſiſtente, ac comprobante Collegio, adeptus pridie nonas Nouemb. 1576. Multa aſſiduè lucubrauit, quæ in ſui Cęnobij habentur Bibliotheca, ſed pręcipuè in *quatuor libros ſentent., quorum primum typis Flor. mandauit*, tandem ſui Ordinis Generalem præfecturam coactus adminiſtrare, immaturo obitu Romæ probitate etiam pręclarus, vt vita eius euulgata teſtatur, defecit ſept. kalen. Martij 1599. ſuę ętatis anno 52. Gianius 2. p. Annal. luculenter.

Anſelmus Graſſenus Seruita, 14. Kal. Iulij 1625. dignè laureatus, atq; in Vniuerſit. libenti animo receptus, Vir præclarus, doctus, ac benemeritus, pręfuit prudenter ſuo Florent. cęnobio, Prouincięq; Tuſcię, quam laudabiliter rexit, Bibliothecarius poſtmodum Sereniſs.ac Reuerendiſs.Card. Caroli Principis ab Etruria, Aulæq; eius à Confeſſionibus, quibus in muneribus deuixit die 24. Iunij 1651. ætatis ſuę anno 57. magna pompa, & non minori dolore PP. Collegarum, qui funeri interfuerunt in magnæ Matris Annunciatæ templo.

Antonius Mannuccius Flor.Seruita,Lutetię Pariſiorum Doctoratus inſignia cum ſuſcepiſſet,Florentięq;plurimis,iiſq; acerrimis literarum concertationibus frequenter egregiam ſibi famam compararet, in Vniuerſit. meruit cooptari anno 1371. maximus illius ęui Eccleſiaſtes in ſacra maiori Æde facundus, eleganſq; Florent. Reipub. Orator, & Theologus ſchiſmatis tempore, tandem iam Moderator General. ſui Ordinis ann. 1387. deceſſit. Gianius p. pr. Ann. plura de eo.

Antonius Fidei Florent. Ordin. Carmel. poſt decora Magiſterij in Vniuerſit. honorofice ſuſcepta, cum diuerſas Mundi partes ſuis ſubtiliſſimis diſceptationibus, ſacriſq; concionibus aſſiduè pe-

peragraſſet, cognita demùm ab Apoſtolica Sede cum ingenij acumine innocentis vitæ probitate, Epiſcopus 34. Suanenſis creatus, & Collegij quoq; Decanus 1430. Deceſſit 1434. ex Vghellio tom. 3. Ital. sac.

Antonius Nomius de Marcialla Flor. Erem. S. Auguſt. anno 1414. conuentatus, magnum ſibi comparauit nomen in Italia, Theologiam in diuerſis profeſſus Collegijs, prudentięq; laudem in muneribus multis, ac regiminibus in ſuo perfunctus inſtituto, inter quæ fuit generalis Procuratoris dignitas anno 1434. Ob quam etiam ad Sum. Pontifices, Chriſtianoſq; Principes à Floren. Republica fuit ſępe legationibus honeſtatus. Reliquit ſui vaſti ingenij monumentum, librum, quem inſcripſit *Flóres doctrinę S.P. Auguſtini*, qui extare dicitur in S. Spiritus Bibliotheca Florentię, vbi deceſſit 28. Auguſti 1438. honorifico marmoreo ſepulcro in eiuſdem cęnobij periſtylio tumulatus pro meritis. Philippus Elſius, & ab eo relati, cum Pocciant.

Antonius Nerius de Aretio Ord. Min. anno 1413. kal. Maij aulatus, & adſcriptus Vniuerſit., Apoſtolicus Concionator, Doctorq; Pariſienſis, ob eminentem ſcientiam, dicendiq; modum in precipuis Italiæ Vrbibus quinquaginta annis, è quibus quatuordecim Flor. eloquenter, & fructuosè declamauit; anno 1450. ad Dominum migrauit, ſui ingenij teſtimonia reliquens *Comment. in quatuor ſententiarum libros*, *varioſque ſermones ad populum*, ex Luca Vuaddingo, & Mariano Flor.

Antonius Loctus S. Laurentij de Florentia Canonicus, poſt approbationem Vniuerſitatis ad lecturam Magiſtri ſentent. 6. Idus Octobris, Baccalaureique Collegij declarationem, vt mos illorum temporum erat, annulo tandem magiſtrali meritò inſignitus, ineunte tempore, illamet ætate doctiſſimus, eiuſdemque Vniuerſitatis meritiſſimus electus fuit Dec. anno 1480.

Antonius Medices Florent. Min. Ord. magiſtrali corona in Vniuerſitate donatus 6. Kalen. Febr. 1460. eiuſdemque Decanus 1472. sacræ Theologiæ Doctor inſignis, ſingulariſque Eccleſiaſtes, poſt Tuſciæ pro ſua Religione miniſterium, Marſicanam adeptus eſt Infulam, in qua, anno non dū exacto exceſſit 1485. ſcrip-

scriptas relinquẽs *Annotationes in vniuerſã Bibliã*,ſũmo labore, præter plura deperdita,quę cõfecit,ex Pocciantio,extant illę in Bibliot. S. Crucis Flor. Vghellus tom.7. Ital.sac. Vuad. & alij.

Antonius Puccinus de Piſtorio Erem. Auguſt. conſultò, & meritò iure aulatus anno 1464. 12. Iunij, & 10. Octobris anni ſequentis huic Vniuerſitati adscriptus, nam doctiſſimum virum annales ſui Ordinis appellant, & Errera tom. 1. Alphabeti, propter quod dignè exercuiſſe refertur, in cauſa fidei, & prædicanda Cruci ita grauiſſimum Commiſſarij munus, & digniſſimum onus; Ex Elsſio, & Aloyſio Torello.

AntoniusProtasij Alabanthus Bononien.Ord.Seru.in Patrio Collegio decoratus magiſtrali aula 16. kal. Martij 1460. quod ſibi obtigiſſet Cœnobij Flor. adminiſtratio, curauit in Vniuerſitatem conſcribi 14.Kal.Iunij 1446. cuius virtutes,& prudentiam benè experta Seruitana Religio Generalem ſibi delegit Præfectum anno 1485., qui religioſè,& non ſine magnis incrementes vſque ad ſui repentini obitus diem 8 Dicemb. 1495.,adminiſtrauit; ità vt S. P. Philippum Benitium in regendo tantummodo Superiorem habuiſſe referatur. Ex Gianio in Annal.p. 2. vbi multa tanto viro digna.

Antonius Cynotius Ord.Min. adſcriptus Vniuer.5.Id.Iunij 1515. Reipub.Flor.declamator facundus,& elegans,in totoq;Florentino Dominio S.Inquiſit.Gener.Pręfectus,anno 1560.deuixit.

Antonius Shiattesius Flor.Ord.Pręd.Senis an. 1460. 16.Febr. die aulatus,& noſtrę addictus Vniuer. an. 1466. 19. Maij, eiuſque Decanus an. 1477. ob doctrinæ eminentiam, ac Diuini verbi gratiam, quam feliciter eſt aſſecutus, in multis Italiæ præcipuis Vrbibus, Declamator Apoſt. admiratus meritò fuit vſque ad ſuæ vitæ periodum,ad quam, ſemper prædicando, peruenit, non ſine ſingulari labore,complexione grauis,ſtudioq;conſumptus. Præfuit vltra triennium Conuentui Flor.S.M.N., Generaliſque Synodi, ac Prouincialis ſuæ Religionis Definitor, vitam laudabilem finiuit an. 1482. 11. Octob. ſuæ ętatis an. 53. honorificè, vt par erat, tumulatus. Necrolog. S.M.N. n. 699.

Antonius Franciſcus Danius Flor. Seruita Nonis Maij 1650. Ma-

gister

giſter meritò ſalutatus, & incorporatus à Collegio, natus ad omnia, literarum ſtudijs præfuit. In Piſano Lyceo publicè Theologiam profeſſus. Aritmeticus numerum contemplatus eſt ſonorum. Moderator Muſices ſacras cantiones, nonnullos Dauidicos pſalmos, amabili ſuauique concentu concordauit. Interijt eos in æternum cantaturus apud Dominum, vt ſperamus, die 29. Nouemb. anno 1654. Piſano in cænobio æt. 37.

Arcangelus Ioannis de Florentia Ord. Præd. ob ſedulam in ſtudijs nauatam operam Ponormi, atque Bononiæ à primæuo ſuæ religioſæ iuuentutis, in Vrbe gradatim ad Magiſterij feliciter aſcendit gradum, in patria poſtmodum Vniuerſitate 1524. 14. Kal. Martij meritò aſcitus, cuius tandem ferè per triennium exercuit Decani munus. Conuentui S. M. Nouellæ bis laudabiliter præfuit, ſemel Generalis Romanus Vicarius, pluries alijs regiminibus egregiè perfunctus, ſimul cum gratioſi declamatoris verbi Dei munere, ſemper communis boni ſuæ Religionis zelator, ſimulque omnibus pergratus vſquè ad ſenium, vitam compleuit Florentiæ 8. Idus. Iunij 1560. Necrolog. prædicti Conuentus num. 883.

Arcangelus Priorinus Flor. cognomento Bruſculus à Bruſculi arce in Appenninorum iugo, vbi ei primus effulſit dies, Ser., Senis primum 1551. mox Flor. 11. kal. Aug. Vniuerſ. fauore condecoratus, & poſtmodum honore Decanat. anno 1556. inſignis Theologus, ſapientiæ, facundiæ, & eloquentiæ preſtantia declamator ſanè primarius, ſex, & quadraginta annorum curſu celebriora Italiæ loca concionando vſquè in Dalmatiam peragrauit, totiuſque sui Ordinis aliquando Vicarius, ac Generalis Viſitator, multa poſteris reliquit ingenij, & profeſſionis ſuæ teſtimonia, *De Diuina Prædeſtinatione ad mentem S S. P P.*, *Lectiones in Symbolum Apoſtol. in Decalogum*, *de Verbis Domini*, *aliaque quam plurima, præter Quadrageſimales, & annuales conciones*, quæ in eius D. Annunciatę cænobio aſſeruantur Flor. in quo piis tandem laboribus feſſus quieuit 15. Kal. Nouemb. 1574. ætatis ſuę 62. Plura diſtinctè de tanto viro Bocchius in Elogio ipſo ſanè condigno lib. 2. pag. 9.

Ar-

Arcangelus Gianius Florent. Seru. 27. Iunij die 1582. Theologorum numero, & patrio Collegio adiunctus, illud doctrina, & moribus cohoneſtate ſtuduit, annoque 1590. Decanatus honore, pro quo etiam anno 1614. laboraſſe vidimus pro eiuſdem augendo ſplendore, & conficiendo ferè ſolus priorem clarorum virorum catalogum nonaginta, & amplius iàm comprehendentem, & cum vndecim alijs PP. Mag. à Fideli Corſetto tunc Decano delectis, primę impreſſioni Conſtitutionum intendendo, ob pręſtantiam pręcipuè, quam habere dignoſcebatur, inter cętera ipſius decumata ſtudia, in antiquarum rerum diſquirenda, & aſſerenda veritate; Cuius quidem rei teſtimonium perpetuum exiſtent Annales ſuæ sacrę Familię impreſſi duobus tomis in fol., omiſſo elencho cæterorum operum eius partim editorum, partim eorum, quæ extant m. s. Dignus propterea, qui & Apoſtolici Prothonotarij nomen ſuſciperet, & Prouinciæ Tuſciæ præfecturam ſumma cum laude exerceret, ſicut & munus Vicarij Generalis, ac Viſitatoris Prouinc. Mantuan. Mortalitatem expleuit in patrio cænobio 24. die Decembris 1623. cum Chriſto nato in terris, naſciturus in Cœlo, funerali Oratione laudatus poſtea aſſidente Collegio in inferijs pro eo habitis pridie Kal. Ianuarij, non tamen ſatis pro tanti viri præclaris meritis, atq; laboribus, de quibus ipſe in Annal.

Auguſtinus Cautius de Cremona Auguſtin. Laurea donatus Magiſtrali in hac Vniuerſ. anno 1429. 7. kal. Maij, aggregatus prius antecedenti anno, vt Baccalaureus 23. Nouemb. die, anno 1432., Regens Ianuenſis dignus extitit, poſtmodum à ſecretis ſupremi ſuæ Religionis Pręfecti, & tandem anno 1438. Proantiſtes, & officialis Cremonenſis Antiſtitis. Elſſius.

Auguſtinus Philippus Flor. Ordin Seru. Magiſterij ſuſceptis inſignijs, & in Vniuerſ. cooptatus nono kal. Maij 1507. Virtutum quodammodo Encyclopędia ornatus, & in Romano gymnaſio Theologiam publicè profeſſus, ſuique Ordinis diù Generalis Procurator in curia; Inter ea, quæ poſteris lucubrauit, *orationes omnibus numeris abſoluta circumferuntur*, quas diuerſis in locis, vt erat Orator facundus, & elegans, & præſer-

tim

tim coram Summ. Pontif. Iulio II. & Leone X. frequenter habuerat. Deceſſit Romę 1517., ætatis ſuæ 78.

Auguſtinus Goruccius de Aretio, dictus ab alijs de Monte S. Sabini Aretinæ Diœceſis, Seruita, poſt emeritos Magiſterij honores in Ariminenſi Capitulo Generali ſui Ordinis anno 1573. 10. die Maij receptos, eodem anno 10. Kal. Nouemb. à noſtra Vniuerſit. fuit inter ſuorum alumnos adſcriptus, & poſtmodum à Senenſi Collegio anno 1587. dum naturalem Philoſophiam in eadē Academia publicè explicaret ad concurrentiā D. Iugurthæ Thomaſij, Bononię an. 1602. ſingularis doctrinę cumulatus meritis, deuixit. Ex Gianio eius olim alumno 2.p. Annal. lib. 6. Vgurgerius in Monum. Vniuerſit. Senen.

Auguſtinus Vigianus Seruita celebrioribus non modò ſui inſtituti, verùm etiam cæterorum ſcholis præfuit, quos Theologicis, Metaphyſicis, Philoſophicis, ac Dialecticis plurimum illuſtrauit diſciplinis. Eccleſiaſticæ immunitatis (vt eius oſtendunt ſcripta) præſertim extitit propugnator acerrimus. Humanas adhuc literas minimè neglexit, cum proſa, verſuque multa declamauerit. Meritò itaq; noſtræ addictus Vniuerſit. poſtridie kal. Nouemb. 1607., obijt feliciter Flor. pridie kal. Sept. 1615., cōdigna oratione in inferijs corā Coll. laudatus.

B

BAlthaſſar Raballinus à Flor. Abbas Vallumbroſ. 3.id. Octob. 1625. laurea, & Collegio donatus, doctiſſimus Theologus, & Philoſophus ſubtilis, vtriuſq; facultatis Magiſter in Monaſterio Paſſiniano, ac in Vrbe profundus, iam edoctus, ab Archangelo de Magiſtris ſanę doctrinæ Præceptore Ordin. Prædic., Reliquit de ſe magni Oratoris famam ſingularem in tota ſua ſacr. Congregat., & apud exteros etiam, ob *plures perbellè habitas orationes*, *atq; Catalogi de Scriptor. eiuſd. inſtituti compilationē*. Ex Hippol. Cerbon. in vol. *de clar. Vir. Vall.* in Ripol. Monaſt. aſſeruato, prętet alia iā edita ab eo cōſcripto.

Bartholomæus Albiſius de Piſis Ord. Min. Omnigena præpollens scientia in Vniuerſ. album 1373. cōſcribi promeritus, de quo fertur 30. & eo amplius volumina conſcripſiſſe, quæ in catalo-

logo illuſtr. Minorum Petri à Tuſſiniano explicantur. Deceſſit circa annum 1395.

Bartholomęus Antonij Lapacci de Vbertinis ab alijs de Rimbertinis Flor. Ord. Præd. in Flor. albo Vniuerſit. relatus, vt Magiſter anno 1427 & ſuę æt. 28. kal. Ianu. iam præcedenti anno vt Baccalaureus dignisſimus receptus; Quantæ fuerit virtutis declarant pluſquam luculenter, Latina, Græca, Hebræaq; lingua, quibus cum doctrina polluit apud omnes, potiſſimum in S. Flor. Synodo, vbi clariſſimè demonſtrauit Græcorum errores, ità vt Patriarch. Conſtantinopol. Ioſephum ad fidem S. Rom. Eccl. induxerit, in qua paulò poſt deficiens, in S. M. Nouellæ fuit ſepultus templo, nec non contra Marcum Archiep Epheſinum Græcorum peritiſſimum maximè inualuit, non in funda quidem, & lapide, ſed in ſolo ſcripturæ verbo, cuius *Verbi Dux, & percelebris tuba* fuit nominatus ab Eugenio IV. à quo S. Pal. Magiſter, & poſteà Argolicenſis Epiſcopus effectus remanſit, deindè anno 1440. Cortonenſis, vbi vſque ad 1449. prefuit, à Nicolao V. ad Eccleſiam translatus Coronenſem in Gręcia, cuius poſt regimen quietis percupidus reuerſus ad lares patrios, ea dimiſſa, poſt legationes Apoſtolicas in Vnghariam, Bohemiam, & Pollomiam, iuſſu eiuſdem Pontif. ac celeberrimam diſputationem, quam habuit, etiam abſoluto Flor. Concilio coram Orientis Imperatore Conſtantinopolim, quò perexit, contra prędictum Marcum Epheſinum, quem ità confuſit, & conuicit, vt męrore, ac rubore repletus intra paucos dies obſtinatus fato ceſſerit. Scripſit multa, & varia, quorum meminit Dominicana Bibliotheca, & catalogus ſcript. Flor. nonnulla eorum dicata Pio II. coram quē perſepè orauit; Deuixit poſt tot raptim hic attacta merita Floren. S. Romuli Eccleſię Commendat. ſanctitatis odore poſt ſe relicto 24. Maij 1466. ſpeciali ſarcophago dignus in S. M. Nouellę sac. ęde cuius funeris pompa ita extitit nobilis, vt Archiepiſ. Flor. cum Proceribus, ac Ciuitate caterua ſimul confluxerit, habita Oratione ab Epiſc. Cortonenſi Mariano Seruit. pręſente etiam Volaterrano Antiſtite, & Pratenſi Pręposito, vt ex Necrolog. Conu. S.

L M. N.

M. N. diſtinctè refertur num. 663. nè prolixius de tanto ſingulariſsimo viro dicamus, de quo Hiſtorici omnes, plura cum Seuerino Binio to. 4. Conc. & Iacobo M. Ianuictio Or. Pr. in Bibliot. SS. Io, & Pauli Conu. m. 10. & Monaldo in Hiſt. Famil. Fl. m. s. in M. D. Etruriæ Bibliot. aſſeruata qui de ipſo ſub Dominici nomine loquitur.

Bartholomęus Presbiter filius Franciſci Flor. Maioris Eccleſię Sacerdos; Magiſter, Doctorque inſignis, in Vrbe laureatus 4. Nonas Decembris 1480, & 4. Idus Iunij 1484. Vniuerſitati addictus, acer in diſputationibus, in Orationibus eloquens, atq; in publica Florentini ſtudij lectura ſeſe aſsiduus exhibuit.

Bartholomæus Ricchius Seruita 4. kal. Iunij 1652. inauguratus doctor, & Collega Vniuerſitatis, tantus eloquens Rethor, facundusque Orator fuit, vt non niſi cum admiratione poſſet audiri, elemento R ſemper ſublato ab Orationibus, ac Panegyribus ab eo frequenter habitis, propter linguæ naturale impedimentum; Humanitatem, Rectoricamque, non paucos varij Inſtituti Religioſos edocuit, etiam Aſtrologiam profeſſus propter ingenij ornatum, licet frequenter ægrotus, & valetudinarius. Diem vidit ſupremum in ſolemnijs S. Patris eius Philippi Benitij anno 1663; ætatis ſuæ 45. in manus Dei reddens ſpiritum ſuum, dum in Eccleſia ab Oratore Euangelico referebatur S. Patrem prædictum taliter pronunciando ſpiritum Deo commendantem reddidiſſe in peruigilio Apoſtoli, cuius nomen portabat.

Benedictus Dominici de Flor. Ord. Præd. anno Domini 1422. Baccalaureus Vniuerſitatis declaratus, & idoneus adiudicatus ab Bibliam legendam; atque ſententias iuxtà illius morem ætatis, ſicut, & egregiè preſtitit pro forma; quamquam humilia reſpiciens renuerit generosè Magiſterij gradum aſcendere, à Virorum clarorum ſerie excludendus non apparet, præcipuè ob alias præclaras virtutes, quibus ſupra 80. annos in ſua præfulſit Religione, & ſubditus, & Prælatus pluries ſui originalis Conuen. S. M. Nouellæ, vbi de ſe poſteris ſaluberrima integræ vitæ, & ſingularis probitatis exempla reliquit, vſque ad obi-

bitum ipſum lætus aſpiciens 4. Nonas Aprilis 1453. ipſo Sanctiſs. Paſcatis die cum rediuiuo Redemptore immortalitatis percepturus præmia; Necrolog. præd. Conu. num. 644.

Bernardus Bartholomæus Flor. Ord. Ser. præclarus doctor Pariſienſis, noſtræ addictus Vniuerſitati, ob præcipuas virtutis, & integritatis dotes, Vrbani Sexti familiaris, & Theologus, Abbaſque commendat. S. Michaelis de Podio Bonitio, ad Sedem Tiphernatem ab Alexandro V. anno 1409. promotus, 4. Septembris die, in ſequẽti anno iniit poſſeſsionem, atque diuturna mora adminiſtrauit, ærarij Apoſtolici vltrà montes exactor conſtitutus, ad aliam translatus vitam anno 1423. ex Vghello tom. 3. Ital. ſacr.

Bernardinus Barduccius Bartholomæi fil. Flor. Ord. Min. Senis primum doctor declaratus 1471. deindè in patria Vniuerſitate receptus 11. kal. Maij ſequentis anni, eiuſdemque Decanus anno 1486. vſque ad 1488. celebris declamator, variaque inſignitus erudit one, Fr. Franciſco de Ruuere, qui fuit Sixtus IV. ob id admodum gratus *Decalogum de Virginitate, & de laudibus Caſtitati valdè præclarum dicauit*, aſſeruatum in Sanctæ Crucis Biblioth. ex Vuad.

Bernardinus Martellinus Lippi fil. Flor. Erem. S. Aug. in patrio adſcriptus Collegio Theologiæ, ac Philoſophiæ ſcientia clarus, ſacriſq; literis egregiè inſtitutus Eccleſiæ Ceſenatenſi præficitur anno 1442. 15. kal. Auguſti, quã reliquit è vita migrans 1448. tumulatus Ceſenæ apud ſuos confratres cum honorifica inſcriptione, quæ extat apud Vghellum tom. 2. Ital. sacr. aliquibus relictis ſcriptis ſuæ inſignis virtutis teſtibus, ex Elſſio.

C

CArolus Flor. Erem. pridie Idus Iulij 1565. Theologali Vniuerſit. potitus honore à Magnis Etruriæ Ducibus Piſani Lycei Cathedræ ſuffectus, Dialecticam Ariſt. ibidem publicè, & fructuosè diù profeſſus eſt, & 1571. decesſit anno.

Cæſarius Vannozius Abb. Ciſterc. 6. Nonas Octobr. 1631. in Vniuerſit. Flor. laurea, & loco iuſtiſſime decoratus, nec non poſtmodum Decanatus munere ann. 1651. Inter cæteros eiuſdem Inſtituti Doctores noſtro adſcriptos Collegio, vt ſunt præcipuè Clemens Gauantus Mediolanenſis, & Edmundus Perinellius de Ferraria Abbates varia literatura inſignes, præcipuum ſibi hic vindicat locum, ob munus Præſidentis Generalis, quod præclarè geſſit, hoc iure etiam expoſtulantibus virtutibus, ac ſcientijs, quibus emicuit, præſertim Mathematicis. Deceſſit Abbatię Mucellanęę Bonſolatij Pręfectus an. 1656.

Cherubinus ex Marchionibus Malaſpina Ord. Pred. iam Magiſter inauguratus, Collegio fuit addictus 17. kal. Febr. 1636. eiuſdemq; Decanus 1654. Literatura, ſpectataq; prudentia clarus, ſtudijs præfuit diù, ac regiminibus præfulſit in ordine principalioribus, regendo, vt Prior S.M. Nouellæ cænobium, Romanáq; Prouinciam, alijs omiſſis, quibus eſt ſemper peregregiè perfunctus, vſq; ad Pręſulatum Biturgenſis Eccleſię ab Alexandro VII., cui maximè erat pernota virtus, euocatus 30. Auguſti 1655., qua omnibus etiam ſuis ouibus pius Paſtor, ac bonus percarus euaſit vſq; ad vndecimum Epiſcopatus ſui annum, poſt quem mærentibus bonis, piè in Domino obdormiuit 14. Martij die 1666. tredecim ſuæ laudabilis, & inculpatæ vitæ luſtris peractis, tumulatus in ſua Eccleſia, funebrique nobili pompa poſteà anno 1669. die 16. Ianuarij, cohoneſtatus Florentiæ in S. M. Nouellę templo à PP. Magiſtris, Orante eloquentiſſimè, & pro tanti Viri dignis meritis, Rodulpho Foraſaxio Vallumbroſ. meritiſsimo Abb., qui pro eo *Sepulcrale ſolatium* pluſquam ingenioſè elaborauit. Necrolog. dicti Conuentum. 1160.

Chriſtianus Vghellus Flor. Carmel. germanus frater pluſquam eruditi Viri Ferdinandi Abb. Ciſterc. laudabilis Scriptoris inſignis Operis Ital. Sac., cuius dilecti germani meritò meminit tom. 3. cum laude, iam Magiſtrali emerita donatus laurea à ſuo Generali Apoſtol. præuia facultate, plenis ſuffragijs inter PP. Collegij fuit enumeratus Theol. 2. Kal. Febr. 1627. egre-

giè perſungens tunc Piſani gymnaſij in Carmelit. cænobio Regentis munere, alijs poſtea titulis, ac honoribus ſucceſſiuè pro meritis apud ſuos confratres condecoratus, quos prudentia rexit, poſtquam inſignis Theologus eoſdem ſua ſapientia edocuerat.

Chriſtophorus Nouaria Iuſtinopolitanus Ord. Ser. cum Patauij nonis Iulij 1447. decora magiſtralia ſuſcepiſſet, Florentiam miſſus, vt illius cænobij ſtudium regeret, huic Vniuerſitati ob ſuas eximias virtutes 6. idus Octobris 1449. dicatus, demum ſui Ordinis Generalis effectus, Romæ interijt 1485.

Chriſtophorus Charius, aliàs Galganus Senen. Seruita receptus magiſtralia inſignia ab Vniuerſ. illique aggregatus 18. Kal. Iulij 1594. & poſtmodum Senenſi, cum fuerit vnus ex ſeptem præcipuis Theologiis ab inclita Seruorum B. Mariæ Familia delectis protuendis iuribus Sedis Apoſtolicæ Paulo V. Summ. Pontif. regnante, edendo vnà cum alijs librum, qui profectò fuit malleus aduerſariorum, clypeuſque Pontificiæ Maieſtatis meritò iurè etiam inter claros viros noſtri Collegij eſt collocandus.

Clemens Thomaſinus Flor. Ord. Min. 18. kal. Iulij communi calculo Vniuerſitati addictus, Theologus profectò nulli ſecundus, Scoticæ doctrinæ vſquè adeò ſtudioſus, vt mirum de eo feratur illud, quod ſciſcitanti cuidam ex Diſcipulis ſuper aliquam dubitationem ex tempore, & memoriter librum, & omnia alia vſque ad apices indigitaret ſingillatim. Concilio Tridentino Thologus pro ſuo interfuit Ordine. Commiſſarius, ac Generalis Viſitator Conu. Minor. pluries ſuffectus, acerrimus in diſputando, ſuauis, & eloquens in concionibus, dum tandem Senis Theologiam publicè profiteretur, deceſſit anno 1582. perpetuis relictis ſuæ inſignis doctrinæ teſtimonijs, & claritatis, quæ omnia recenſentur à Franciſ. Bocchio in Elog lib. 2.

Coſmus Fauilla Flor. Seruita anno 1516. 5. Idus Auguſti oblatus à patrio Collegio præter diuinas literas, ſacroſque Canones quæ ex proprio inſtituto proferri conſuerat, mathematicis diſciplinis, humanioribus literis haud ſegniter indulſit, ſicut quàm plurima

timia illius edita restantur opuſcula, quibus profectò, vel inuita morte idibus Septembris 1526. adhuc ſubſecuta, apud poſteros famæ immortalitatem maximè promeruit, potiſsimũ ob Lutheri dictis & ſcriptis confutationem; quam liquidò comprobat præclarum opus contra eundem Clementi VII. ab eo nuncupatum, quod viſitur in Vaticana Bibliotheca, ex Gia nio in Annalib. p. 2.

Coſmus Oricellarius Flor. Matthæi fil. Seru. Ferrariæ iàm inauguratus Magiſter anno 1477. Patriæ deinde addictus Vniuerſitati 18. Kal. Decembr. 1487. non minus auita nobilitate, quam virtutum ſplendore inſigniter eluxit. Fuit ſiquidem cum in diuinis, tum in humanioribus literis apprimè verſatus. *Ariſtotelis politicam ſummam, Rethorica doctiſſimis Commentarijs illuſtrauit. Geſta Beati Philippi Benitij etruſco ſermone conſcripſit* anno 1480. Mathematicas diſciplinas mirificè excoluit pluraque *de ſyderum motibus, ac de mundi ſyſtemate* literis conſignauit. Claruit an. 1521. ex Poccian.

D

Damianus Folchius Flor. natus, Seruita, pridiè Kal. Febr. 1564. ab Vniuerſitate Magiſter, & collega declamatus, in omni ſcientiarum genere valdè eruditus vir, atque in declamando, & orando fortè nemini ſecundus, plurimis, & ſui Ordinis, & aliorum poſtquam in locis domeſtica direxiſſet gymnaſia, tandem D. Annunciatæ Flor. Cænobij præfecturam exercens 5. kal. Febr. ſarcinam ibidem mortalitatis depoſuit 1575. Anno 1569. Conſtitut. eiuſdem antiquiores ad 14. capitula ſummatim redegit Decanus Collegij.

Dionyſius à Coſtacciaro Ord. Min. cum eſſet eminentis doctrinæ & præcipuè in Platonicis dogmatibus præcellens, non minus in rebus gerendis prudens, quam in concione facundus, & eloquens, ac in hereticos vehementer accenſus, S. Inquiſitionis Flor. dominij diutiſſimè officium cum prudenter, tum piè exercens morti proximus Flor. Vniuerſit. priuilegio voluit cohoneſtari,

ſtari, ac promeruit 6. idus Auguſti 1603. cuius laudes funebri oratione dixit, & euulgauit Flor. M. Albertus Rutilentius Ser. Vniuerſ. doctor claruit.

Dionyſius Buſſottus Flor. Sep. kal. Aug. 1615. laurea S. Theolog. ab Vniuerſitate patria donatus, atque conſortio, & anno 1622. Decanatus honore, humanioribus literis, omnigenaque eru-dictione ſpectatiſſimus vir, ob cuius vitę candorem, doctrinęq; præſtantiam Peruſini in ſuum ciuem cooptarunt. In publico Piſarum archigymnaſio ſumma cum laude ſacram profeſſus eſt Theologiam; Prouinciam Seruorum Tuſcię exemplo non minus, quam authoritate eſt moderatus, poſteà plenis ſuffra-gijs, totiusque Religionis ſuę plauſu ad eius ſupremam præfecturam aſſumptus; ac tandem ab Vrbano VIII. ſacra infula Biturgenſis Eccleſiæ decoratus anno 1638. Diem vltimum clauſit præclariſſimus Præſul, cuius virtutes ſilentio inuoluit, ob eius modeſtiam Vghellus, eiuſque cum eo amicitiam, anno ſal. 1654. relictis aliquibus propriæ doctrinæ monumentis typis promulgatis, interque *Vita S. Philippi Benitij* eleganter con-ſcripta materna lingua, eò ipſo volente alterius nomine impreſ-ſa Flor. eidem pro meritis in D. Annunciat. templo ſolemnibus perſolutis, Collegio præſente, inferijs die 14. Nouemb.

Dominicus Pantaleonius Flor. Ord. Præd. in Anglicano gymnaſio & Pariſino Geometria, Perſpectiua, Aſtrologia, & maximè Theologia, ſacriſque literis pleniſſimè imbutus, ob ingenij a-cutiſſimi præſtantiam, in patriam reuerſus, patriæ Vniuerſitat. doctoris inſignitus honore, præfatas cum ſui, & Ordinis glo-ria edocuit publicè diſciplinas, nec non verbum diuinum in maiori ſacra Æde maxima cum gratia, & plauſu declamauit per Quadrageſimam, præcipuiſque perfunctus peregregiè mu-nijs in ſua Religione, editiſque permultis voluminibus ſapien-tia ſingulari refertis, de quibus ſcript. Flor. catalog. ac Domen. Bibliotheca, dum alia molitur, in die feſto S. P. Auguſtini, cu-ius, & vitę ſtudioſiſſimus erat, ad Dominum perrexit anno eius 1476. ætatis ſuę 40. Ex Necrolog. S. M. N. num. 478.

Dominicus Nardius Flor. Ord. Pręd. Vniuerſit. aſcitus cum in-

dis-

diſſerendis ſacræ ſcripturæ locis, tum in Ariſt. doctrina iugiter eruditus, *tria magna volumina ad conciones per totum annum compoſuit*, in ſuoque patrio S. M. Nouellæ Cænobio cuius ſemper fuit benemeritus, reliquit; ibique in Domino requieuit 17. kal. Decembris 1385. in ſenectute bona deuotè, & feliciter. Necrolog. num. 513.

Dominicus Serriſtorius de Fighino dictus Flor. Ord. Præd. ſingularis literaturæ, inſignis prædicationis vir, & probitatis, ſuo patrio S. M. Nouellæ cænobio præfectus; Inquiſitorque poſteà Bononienſis vita deuota functus 8. Id. Febru. 1425. Necrologi num. 596.

Dominicus Ruſtorius Flor. Ord. Præd. Bononiæ laurea inſignitus magiſtrali, patrioque poſtmodum aſcriptus collegio, tantæ fuit virtutis, & probitatis vir, vt ab eruditiſſimo Io. Carli Flor. inter viros claros Conuentus S. M. Nouellæ meritò fit repoſitus, Theologus, ac Declamator digniſſimus; aſpectu angelicus, eloquio dulcis, & conuerſatione affabilis, ob quæ poſt Rom. Prouinc. Præfecturam, totius Ordinis Procurator deſignatus adhuc ætate iuuenis; Deuixit an. 1420. Cron. Conu. S. M. Nouellæ à Modeſto Biliocto Flor. eius illuſtri alumno accuratè ſatis conſcripta.

Dominicus Ioannis Cluſinas de Flor. dictus Ord. Præd. inter Vniuerſ. Theologos meritò adnumeratur 15. kal. Auguſti 1434. vir ingenio, pietate, prudentia, ac ſingulari in omni literatura, & eruditione ſpectabilis; Theologus, & Poeta inſignis, poſt Præfecturam Conuentuum, atque Prouinciarum, totius Dominicanæ Familiæ Progeneralatum geſſit, eique vt Ordinis ſupremus moderator duo deuiginti menſibus laudatiſſimè pręfuit; Elegantiſſimis exarauit carminibus quadripartitum volumen *Teodocon* dictũ, quod incipit; *Inclita diuina preconia promere matris. De vita, obitu, ac de Deipara mortalitate, & gloria eiuſdem, Templisq; Romæ, & in Etruria ipſimet dicatis*; quod m. s. extat Flor. in Medicea Bibliotheca & alibi, preter carmina alia eroica, quibus cecinit luculenter *Flor. Geſta, & Hiſtoriam, Hymnoſque in laudem SS. Vincentij Ferrerij, & Catharinæ*

Se-

Senen. Etiam Flor. publicè interpretato Dante, vbi feliciter deuixit 27. Octobris 1483. eiuſdem funere Florent. Reipubl. ſumptibus condigna pompa cohoneſtato S. M. N. Necrolog. num. 700. Pocciantius, & alij.

Dominicus Richardus Neapol. Ord. Præd. Doctoris nomine Idibus Maij 1483. honorificè inſignitus, & exinde 14. kal. Iunij in Vniuerſitate conſcriptus, multis relictis admirandæ ſuæ doctrinæ monumentis, totius ſui Otdinis Generalis Vicarius obijt 1483.

Dominicus Vſimbardius Flor. Barthol. fil. Ord. Præd. in patria aulatus Vniuerſit. Kal. Octobris 1441. eique meritiſſimus datus Decanus anno 1452. vir equidem clarus ob doctrinę præſtantiam, prędicationem, ac ſtudia, quibus ſtrenuè nauauit operã, atq; prudentiam oſtenſam in regiminibus domeſticis quamplurimis ſuæ ſacrę Famil. quare S. M. N. Prior, & non ſemèl Nationis Tuſciæ Vicarius, alijs prætermiſſis ſemper præclare geſtis, in quibus omnibus amplificandi commune bonum exarſit deſiderio, vſque ad supremum ſuæ vitæ diem, qui fuit 12. Aprilis 1486. honorificè tumulatus ann. 78. Necrolog. S. M. N. num. 704.

Dominicus Aiollus Flor. Ord. Præd. magiſtralibus inſignijs in Vniuerſit. 1528. ſuſceptis, vir virtute profectò pręclarus prædicatione celeberrimus, prudentiaque ſpectatiſſimus, in ſtudijs Romano, & Florentino eruditiſſimus præfuit Moderator, Venetijs quinquies declamauit per Quadrageſimam, quater Neapoli, bis Mantuæ, non ſemel Floren. Ianuæ, Raguſiæ, Senis, & quamplurimis Italię præcipuis locis, quod ſemper cum ſumma præſtitit laude; Prior in patrio S. M. N. cęnobio, & pluries alibi, definitor capituli Prouincialis, & Generalis, Vicarius Rom. Prouinciæ, etiam Generalis ſemel, & iterum, deuixit apud Cẽtumcellas 6. Octob. 1562. ætatis ſuæ anno 63. Necrolog. S. M. N. num. 887.

Dominicus Siluanus Flor. Seruita, cum anno 1570. 6. Kal. Iulij cathedra magiſtrali in Vniuerſ. dignus adiudicaretur, lecturam poſtmodum Dialect. & Philoſophiæ apud PP. Ciſtercienſes in

M Mo-

Monaſterio Claræ Vallis Mediolani plures annos cum tyronũ fructu exercuit, deinde in Piſano gymnaſio Theolog. cathedræ pro M. Iacobo Tauantio in Generali Ord. præfectura occupato, ſuffectus, demùm à Seren. Franciſco M. Duce alia Dialecticæ cathedra ibidem cohoneſtatus, diuerſarum facultatum ſtudijs, aſſiduisque feſſus laboribus, in ſancto die Reſurrectionis 1614. cum Domino reſurrecturus, obijt. Collegij Dec. anno 1588.

Dominicus Ghiſius patria Mediolanenſis, Cler. Flor. 10. kalen. Febr. 1614. Doctoratus inſignia, & cooptationem in Collegio à ſecretis exiſtens Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Flor. Archiep. Alexandri Martij medices, & anno 1616. Decanatus honorem, quo in munere etiam cum audientium admiratione peregregiè defendit Theologica theoremata eodem D. Archiep. præſente & literatis, & doctis Ciuit. viris plurimis pariter plaudentibus. Plebanus ruris Brozzij meritiſſimus, Prothon. Apoſt. S. Officij à conſultationibus examinatorque ſynodalis, vir probitate, & ſingulari literatura clarus, apprimè etiam in Græca, ac Hebraica lingua eruditus, qui felilicitet die 9. Maij 1651. vitam cum morte commutauit, ſuæ paternę bonificentiæ erga oues ſibi commiſſas pauperi grauatas perpetuò relicto teſtimonio, quod in publicis Eccleſiæ Brozzianæ conſpicitur tabulis, nec nonnullis orationibus concinnè elaboratis, quas typis euulgauit, ſuam quoque comprobantibus literaturam. Tanto viro ſolemnes perſolutæ fuere exequię Flor. in Eccleſia Sanctimonialium S. Ioannis Hieroſol. 12. Iunij die meritas eius dicente laudes ſolida, doctaque Oratione, M. Io. Franciſco Tempio Dominic. Vniuerſ. Theologo alijs præſentibus Colległis.

Dominicus Gallius Flor. Ord. Præd. patrio Collegio meritò aggregatus 6. Idus Febr. 1650. vir non parua ſapientia prędītus, atque percelebris, Vniuerſit. publicè S. Theologiam pluribus annis profeſſus eſt, S. Officij Conſultor, ac Examinator promouendorum ad Sacr. Dięceſum Flor. & Feſul. ſimulque Sereniſſimæ Victoriæ Roboreæ M. Duciſſæ, & Sereniſs. ac Reuer. Caroli Card. ab Etruria ſac. Collegij Decani diù à confeſſioni-

ni-

nibus, & à Secretis conſilijs, Cœnobio S. Marci præfuit laudabiliter, nec non Romanæ Prouinciæ, ſuæ munificentiæ, præfato Conuentui permultis relictis teſtimonijs. Deceſſit ibi 20. Decembris die anno 1668. æt. ſuæ 73.

Dominicus Antonius Ioannis de Flor. Ord. Præd. qui in numero Baccalaureorum Collegij repoſitus fuit 1428. 3. Non. Septem. ab eius clarorum virorum catalago non eſt ſeponendus, vt potè vir omnibus amabilis, miræ probitatis, & ſingularis erudictionis, ob quæ magiſterio digniſſimus, non fuit eo inſignitus morte præuentus, vt humiliter obtauerat, iam omnes aſcenſus magiſtrales gradus ætate iuuenis, morum candore ſenex. Peſte ſæuiſſima correptus quieuit in Domino anno eius 1479. 13. Iulij lacrymis confratrum omnium comitatus ad tumulum tam copioſis, vt ægrè potuerint funeralia pro eodem perſoluere. Necrolog. S. M. N. num. 656.

Domninus de Domnino Philippi fil. de Flor. Carmel. Auenioni magiſterij lauream primùm meritò aſſecutus, deindè in patriam 4. Idus Ianuarij 1484. reuerſus pro S. Alberti eiuſdem inſtituti canonizatione apud Sixtum IV. plurimùm inſudaſſe, multaque in eiuſdem sacri Ordinis decorem apud Sed. Rom., & attentaſſe, & obtinuiſſe fertur, in cuius magnæ probitatis, & exquiſitæ doctrinę teſtimonium Flor. Vniuerſit. præter conſuetudinem inter ſuos receptum, ſtatim in ſuum ſalutauit Decanum anno 1495.

Donatus Vgolinus Flor. Eremita S. Aug. in Vrbe aulatus, & patrio adſcriptus Collegio Nonis Octobris 1464. quanti fuerit meriti declarat electio eiuſdem in Abbatem, vt Auguſt. tradunt annales anno 1473. alia ipſius facinora reticendo Elſſius.

E

ÆGidius Bonſius Flor. Io. Baptiſtæ Filius Erem. S. Aug. in patrio aulatus Colleg., eique addictus 16. kal. Iunij 1553. cui præfuit poſtea vt Decanus anno 1558. profuitque eiuſdem conſeruationi cum alijs tribus grauiſſimis Theologis anno

 1565.

1565. antiquiores cum eis condendo conſtitutiones, quæ ſex, & quadraginta capitibus comprehenduntur, vt ex lib. pergameno rubeo conſpici valet; Decano Zacharia Ord. Ser. Generali. Anno 1550. vt affirmat Elſſius, aliqua typis debeat, florebatque etiam anno 1584. fuitque Promotor perſæpè aliquorum ex ſuo ordine ad Magiſterij gradum, quod totum ſat eſt, vt hic ipſe reponatur, vt vir clarus.

Eliſeus Biffolus Flor. Seru. 7. Idus Nouembr. 1557. dum laudatiſsimè præerat patrio Conuentui aulatus, & adſcriptus fuit ab omnibus in patria Vniuerſit. ſacrarum ſcripturarum diſertiſſimus interpres, adeò, vt eius nominis fama increbeſcente multi prçter alios S. R. E. purpurati Principes eius conſilijs in rebus gerendis vsi fuerint. Concilio interfuit Trident. vbi non obſcuris indicijs ſingularem ſuam doctrinam, prudentiam, vitæque probitatem manifeſtauit, vſque ad ſupremum diem, qui fuit 14 Kal. Septembr. 1587.

Eliſeus Mazzonius Flor. Seru. inter Vniuerſit. patriæ Theologos aſcitus 14. Kal. Iulij 1597. morum integritate, vitæque ſanctimonia præclarum Apoſtolicum prçdicandi munus multò peccatorum cum fçnore laudabiliter exercuit. Non ſolum proprij Ordinis alumnos, verum etiam Ciſtercienſ. Monachos per plures annos in ſacris inſtituit diſciplinis. Prouincialatus functus eſt officio, ac denique vniuerſç ſacrç Seruorum Familiæ Generalis Vicarius. E viuis exceſsit Arimini 18. Octobr. ætat. 73. anno, ſalutis 1632. Decani Collegij functus munere 1606.

Euangeliſta Tedaldus Flor. Seru. 5. Idus Maij 1650. laureatus, & incorporatus, nobilitatis decora literarum ſtudijs coniungens vnicè patriã, ſuoſq; illuſtrauit. Sanctiſsimæ Inquiſitionis Conſultor, Flor. ac Feſul. Diçceſis Synodalis Examinator Theologia morali prçfulſit, nonnullas elucubrationes, Poeta lepidiſſimus in lucem edidit. Chroniſta inſignis à Ioanne Franciſco Nigrio allegatur in voluminibus Alexandro VII. dicatis. Vitã finiuit breui correptus morbo 19. Iulij hoc prçſenti anno 1683. funeri prçſente Collegio non ſine mçrore ob tanti viri-

ia

iacturam, qui, & pręfuit Couentui patrio, & Prouincię Tuſciæ non ſinè laude.

Eugenius Spellius à Bollano Carmel. 4. Kal. Decembr. 1587. pręclari ingenij vir, & ſingularis doctrinæ ab Vniuerſit per annuli receptionem approbatus, ideò dignus, vt inter illuſtres Viros referatur, quod in docendo aſſiduus, in diſputationis certamine peracutus, in explicandis ſacris ſcripturis pius, & eloquens, dum pari cum pietate, ingeniique ſolertia poſteritati multa profutura parabat, medijs in laboribus iuuentute Floreſcens, morte quieuit 1598. Cuius *lucubrationes ſuper totam Dialecticã, Phiſicam, & tertiam partem D. Thomæ* apud ſuos PP. reſeruantur, florebat an. 1593. pro vt refert Lucius in Bibliot. Carmel.

F

FIdelis Corſettus à Puppio Cluſentini anno 1611. pridie kal. Iunij doctor declaratus vnà cum cooptatione Vniuerſitatis, quantum illi prodeſſe habuerit in votis, ſatis declarat prima Collegij Conſtitur. impreſſio anno 1614. tunc digniſſimus ipſius Decanus. Abbas poſteà vigilans, Academicus eximius Poeta excellens, Concionator celebris, Magiſterque pluſquam præclarus ſtudij Foroliuienſis Congregationis Vallumbroſ. cuius dignus fuit alumnus.

Franciſcus Nerlius Auguſtin. Inſtituti Floren. primus omnium, qui patriæ Vniuerſit. nomen dederit, inſignia Doctoralia ſolemni Reipubl., & populi Florentini plauſu in ſacra maiori æde 5. Idus Decembr. 1349. ſuſcepit, meritò eiuſdem Vniuerſitat. noſtræ Theologicæ *Primicerius* nuncupandus, qui cum inter alia excultæ eruditionis opuſcula libros edidiſſet, *Vnum de virtutibus, & vitijs, alterum de rebus diuinis*, tandem dierum plenus deuixit 1362. ſpeciali marmoreo monumento tumulatus Flor. in S. Spiritus periſtylio, vt ad præſens conſpicitur.

Franciſcus Flor. Ord. Min. cognomento Paduanus ob diutinum Paduæ domicilium inter Vniuerſit. PP. 6. Idus Octobris 1439. con-

conſcriptus, plura oſtendit ingenij ſui ſigna, *opuſcula dando ad Bracchium Martellium Florent., plebem Veronenſem, ſacroſque hæreticæ prauitatis Inquiſitores, nec non ad Nicolaum V. Summum Pontificem,* quorum exemplaria in S. Crucis Flor. habentur Biblioth. Summ. Pontif. Eugenio IV. Calixto III. Pio II. Paulo II. ac Sixto IV. ob immaculatæ vitæ, virtutiſque exemplum in maximo habitus prætio. De eo, & operibus Toſſignanus.

Franciſcus Roboreus, ſeu de Ruuere dà Sauona Ord. Min. animi celſitudine, ingeniĳque ſolertia magnus, Patauij, Bononiæ, Papię, Senis, Peruſię, non ſolum publicè ſacram profeſſus eſt Theologiam, verùm etiam Florentię, vbi poſt magiſtrales honores alibi ſuſceptos an. 1433. 5. Idus Iulij 1450. in eius Vniuerſit. non dedignatus eſt adſcribi, eumque aſſiduis diſputationibus illuſtrare, primùm ſui Ordinis in Rom. Curia Procurator, totius Italiæ Vicarius Gener.; mox à Paulo II. Cardin. S. Petri ad Vincula, & demum ſub nomine *Sixti IV. Pontifex Maximus*, eidem quoque nomen ęternum, famamque adhibuit. Librum edidit *De ſanguine Chriſti, & de futuris contingentibus, Comment. de Potentia Dei, de Immaculatæ Virginis M. conceptione*, aliud aggreſſus opus, in quo nitebatur oſtendere Angelicũ Doctorem, & ſubtiliſſimum Scotum in ſententijs non diſſentire, ſolis tamen verbis non conuenire, quod abſolutum non reliquit ad ſummam euectus Cathedram, de quibus, cæteriſque ingenij ſui magni monumentis lib. 1. Biblioth. Pontif. Ghilinus in theat. vir. lit. par. 2. & nuper eruditiſs. P. Oldouinus in Necrolog. Pontif. Romę obijt Idibus Auguſti 1484. anno 70. & amplius.

Franciſcus Mellinus de Flor. Zoppus d. Auguſtin. Patauij primùm emeriti honoris lauream 5. Idus Aug. 1439. aſſecutus, mox in patria 6. Idus Octobris Vniuerſitati addictus, vſquè adeò in declamando celebrandus, vt dum ad populum Flor. quadrageſimali tempore concionaretur, eius ſuaſione, & opera S. Spiritus Templum flamma conſumptum in ampliorem, elegantiſſimamque formam Philippo Brunelleſco architectore, ſumpibus Reipubl. Flor. reſtituendum curauit anno 1444. verbis

& mi-

& miro exemplo plurimis à mundi periculis etiam conuerſis ad Chriſtum. *Conciones, quas elaborauit, aſſeruari in Bibliot. Spiritus*, tradit Elſſius.

Franciſcus de Flor. eiuſdem Auguſtin. inſtituti conuentatus anno Domini 1400. 14. kal. Auguſti, Theologus planè inſignis Florentiæ, & Venetijs Regens ſtudiorum præcipuis functus honoribus ſuæ Religionis, à ſecretis non ſemel Generalium, à Viſitationibus Prouinciarum vltra Montes, Vicarij Generalis Prouinc. Marchiæ Treuiſanæ, Præſidentis comitiorum pluries, Prouinciæque Piſanę Rectoris, quo in munere, eiuſdem ampliata ſunt confinia ob acceptationem ab ipſo factam Pratenſis Cęnobij S. Auguſtini anno 1434. Elſſius.

Franciſcus de Force Picens Ord. Min. poſt diutinum de re periculum coram PP. Vniuerſitatis exiſtens Baccalaureus formatus ſuper ſentent. libros exactum iuxtà laudabilem illius ęui inſtitutum tandem 3. Idus Iannar. 1460. magiſtrali decoratus Corolla *Commentarium peregregium ſuper octo libr. Phiſicor. & ſuper libros quatuor ſentent.* poſteritati reliquit.

Franciſcus Dantis, Guidonis à Caſtellione nob. Flor. S. Laurentij Canon. Dignus iam diſcipulus Victorini Feltrenſis, pietate, doctrina, atque humanitate viri præclari, in patria Vniuerſ. coram *D. Archiepiſcopo Antonino*, cui fuit à ſecretis, à quo, & laudibus. & magiſtrali laurea etiam habitus eſt dignus, illam ſolemni ſuſcepit apparatu 18. kal. Febr. 1458. tunc exiſtens publicus Vniuerſit. Lector, poſtmodum anno 1460. Theol. cætui die 10. Ianuarij addictus, demumque eiuſdem Decan. meritò an. 1471. renunciatus. Plura laudabiliter ſcripta reliquit à Pocciantio recenſita, præter nonnulla opuſcula, quorum non meminit, ſeruata Flor. in Magliabechiana toti Orbi literario celebri Biblioth. Vitas nonnullorum ſanct. Inſtit. Domin. compilauit, inter quas illa *S. Antonini* præfati latio ſermone conſcripta, iterùm euulgata cernitur Flor. anno 1680. impenſis Eminentiſs. D. Card. Franciſci Nerlij iunioris Flor. Archiep. iàm condignè inſerta à numquam ſatis laudato viro Daniele Papabrochio tom. 1. menſis Maij ſui incomparabilis operis de ſanct.

ſanct. geſtis. Quod ſit ſatis hic pro multis, relatis de tã eximio magiſtro, Græcis, Latiniſq; literiseruditiſs. viroapud omnes.

Franciſcus Silueſtrius Ferrarienſ. Ord. totius Pręd. 40. Magiſter Generalis cauſa Viſitationis Prouinciarum Florent. degens fuit à toto Vrbis Collegio iuxtà eiuſdem tunc laudabilem morem, in S. M. Nouellæ ſalutatus Conuentu 8. die Iulij 1526. ſimulque liberaliſſimè addictus Vniuerſitati, vt illius tradunt monumenta, quoniam vir apud omnes non minus felici, quam feliciſſimo ingenio præditus dignoſcebatur, & optimo ad explicandum alijs etiam difficillima quæque, eloquio grauis, doctrina eximius, vniuerſiſque amabilis, & pergratus, & præcipuè Pontif. Maximo, à quo grandi poteſtate aſſumpta in Germaniam properabat, vt proprios filios Dominicanos ibidem tunc aduerſus Lutherum, & aſſeclas ore, & calamo militantes fortiores ſua redderet præſentia, ſuaque doctrina conſtantiores in fide Catholica Rom Eccleſiæ pro qua acerrimè decertabāt. Obijt anno 1528. ſui laudatiſſimi, atque optimi regiminis quarto, relictis præter *Comment. ſupra ſummam contra Gentes D. Thomæ*, cuius erat profundiſſimè inſtructus doctrina, & eruditione ſuper cæteros eiuſdem diſcipulos, alijs eminentiſſimę ſuæ ſapientiæ teſtimonijs, quę in Bibliotheca adducuntur Dominicana Luſitani, & Altamuræ. Quarè cum fuerit inſuper ornatus duarum linguarum, Græcæ, & Hebraicæ peritia, omnique liberali arte, præcipuè delectatus Muſica, præter profundam rerum omnigenam cognitionem; Adhuc neſcitur, an plus ſplendoris ipſe contulerit Collegio, & claritatis; an ab ipſo receperit ei cooptatus. Ianuictius in Biblioth. Veneta ſat eruditè, cum Fontana in theatro Dominic.

Franciſcus Thomæ de Flor. Ord. Præd. gradatim meritò ad Magiſterium euectus, noſtræ iam adſcriptus Vniuerſitati, vt Baccalaureus Nonis Nouembris 1476. latina non minus, quam græca peritus lingua, quam, vt magis calleret, etiam Græciam luſtrauit; *Latinitate donauit D. Cyrilli Homilias ſuper Iſaiam, ac uaria aliquot diuerſorum auctorum opuſcula, ſcripſitque ut ſubtilis Philoſophus in Porphirii prædicabilia, atque Aristotelis prædi-*

ca-

camenta, nec non Quadrageſimale confecit. Prudentia præfulgens ſingulariter ſuo Conuentui S. M. Nouellæ præfuit, totiq; Ordini, vt Vicarius Generalis, Mortalitatem expleuit ſuæ æt. anno 68. 18. Aprilis 1514. Necrolog. S. M. N. n. 755.

Franciſcus de Aſtudillo Cleric. Hiſpanus, Pariſienſis iàm doctor Florentinæ etiam Vniuerſitati dignatus eſt adſcribi 17. kal. Ianuarij 1550. ſub Decanatu M. Albertj Parthi viri clari inter Carmelitas, & poſtmodùm etiam Decanus anno 1552. qui inter memoranda reliquit Decretum eo procurante factum à PP. contra eos, qui hæretica prauitate ſunt notati, ſub die 17. Octobris 1552. Ex quo abundè conſtare poteſt nobis huius Catholici viri in alijs rebus claritas, vt meritò hic, valeat cum alijs claris viris reponi, & honorari.

Franciſcus Boncianus nobilis Flor. Metropol. Canonicus, atque Archidiaconus, coràm Illuſtriſs. ac Reuerendiſſ. D. Archiep. Martio Medices præuio riguroſo examine, atque literaria diſceptatione, inſignia doctoralia Theologiæ ſuſcepit, varia exornatus literatura, morùmque candore præcipuus ad Piſarum Archiepiſcopatum aſſumptus 6. Nouembris 1611. eius fuit sēper magna inter Etruſcos Principes propter multiplicē rerū vſum auctoritas. Deceſſit 28. Nouembr. 1620. ſepultus in Metropol. Dominicanos ſuæ nobilis Biblioth. apud S. M. Nouellam de Flor. ob obſeruantiam, qua potiſſimùm proſequetur Vener. Dominicum Gorium, hæredes liberaliſſimè inſtituit. Ex Vghellio tom. 3. Ital. sac. Eruditiſſimus Dempſterus cum alijs non parua cum laude de eo tradit.

Franciſcus Norius nobilis Flor. Metropol. Canonicus 4. Idus Septembr. 1620. patrio adſcriptus Theologorum cætui, doctorque declaratus, Ordinarius Sacræ Scripturæ interpres, à Gregorio Decimoquinto Primus Miniatenſis Epiſcopus deſignatus, Eccleſiam eamdem poſtmodum Vrbanus VIII. ei aſſeruit 11. Martij 1624. quam rexit vſquè ad annum 1631. die 30. Decembris deuixit, ſuo deceſſu Miniatenſis Populi cumulatus dolorem, quem ex contagio, quod tunc graſſabatur frequentibus funeribus luctuoſiſsimè hauſerat. Vghellius tom. 3. Ital. sac.

N Fran-

Franciſcus Falagianus Flor. Ord. Min. 8. Idus Iunij 1610. exiſtens Prouinciæ Tuſciæ meritiſsimus Moderator, Vniuerſitati adſcitus, verſatiſsimus in ſubtiliſsimi ſui Magiſtri, aliorumque inſignium Doctorum doctrinis, vt Præfectura studiorum Ianuæ Bononiæ, & Florentiæ non ſemel Regans, teſtatur, atque Piſana Academia, in qua publicè Theologiam profeſſus eſt, vſque ad ægritudinem, quæ coegit eum à ſtudijs feriari; Conuentui Miniatenſi poſteà præfuit, illique ità profuit, vt illius Reſtitutor à fundamentis deprędicetur continuò. E' vjuis ſublatus 10. Maij 1637.

Franciſcus Ripa de Flor. 14. Kal. Nouembr. 1627. aulatus, & incorporatus, totius ſuæ Vallumbr. Congregationis Procurator Generalis in Romana Curia, eximius Orator, Doctorque vtriuſque Iuris in Patauina Vniuerſitate, nec non magnus Theologus, & Canoniſta verſatus, vt liquidò manifeſtat *Volumen de Simonia*, quod typis cõmiſit Romæ 1631. ſummo ſtudio & doctè cõſcriptum, teſte omni maiori exceptione, doctiſſimo Auguſtino Barboſa, qui cenſor delectus fuit eiuſdem à ſapientiſsimo Riccardio S. A. P. Magiſtro.

Franciſcus Maria Gualterottus Patritius Flor. Raphaelis inſignis Poetę Filius, Metropol. Canonicus, pridiè kal. Septembris 1627. laurea, Collegioque patrio meritiſsimè donatus, magni nominis Orator, & Poeta etruſcus grauis, & lepidiſsimus ſimul, in quo Muſarum amor certauit ingenio, varia opuſcula poetica, & oratoria euulgauit, maiora editurus, niſi in uida repentina morte præoccupatus non deuixiſſet anno 1636. patre omnibuſque mętentibus tanti viri iacturam.

Franciſcus Maria Domninus Flor. Abb. Vallumbr. Kal. Februarij anno 1640. recepit doctoratus inſignia, & cooptationem Collegii, vir planè omnium artium peritiſsimus, Grammaticus valdè elegans, Latinus Poeta diſertiſsimus, Theologus pluſquam præſtans, arguens ſat ſubtilis, ac in omnibus Flor. Academiis, & præcipuè in Apatiſtarum aſcitus, & deſideratus. Cuius ſub ſedulo tyrocinio euaſerunt præſtantes nõ pauci in moribus, & literis eruditi, eius, & Ciſtercienſis inſtituti, quos in la-

latino eloquio educuit diù adoleſcentes, humanioribusque literis Occubuit in Emilia Suſinanenſi in Monaſterio 29. Ianuarij 1668.

Fridericus Federighius Flor. Vallumb. Inſtituti Abbas, pridiè kal. Auguſti 1663. laurea ornatus magiſtrali, & ſimul Collegio adſcriptus, cuius poſteà anno 1670. fuit digniſſimus Decanus omnibus præfulgens ſcientijs, magiſter Philoſophiæ, ac Theologiæ profundus in Monaſterio Paſſiniano, atque in Vrbe, vbi exercuit laudabiliter Conſultoris Sac. Congreg Indicis grauiſſimum munus, Theologus ſimul Sereniſs. ac Reuerendiſs, Caroli ab Etruria Card. Decani ab eo, non in paruo habitus pretio. Romæ deuixit 27. Iulij 1672. æt. ſuæ 37. Monaſterij moderator S. Praxedis.

G

GHerardus Latinius Laurentij de Flor. filius Ord. Min. 18. kal. Iulij 1592. ab Vniuerſitate inauguratus S. Theòl. Magiſter, & Collega ſimul ſalutatus, quia in Inquiſitorum Generalium S.Officij anno 1517. inuenitur ſerie in virorum illuſtriũ patriæ Vniuerſ. propterea catalogo digniſſimus reponi, laudeque ſingulari, quamquam cętera ipſius decora adhuc non innoteſcant.

Gherardus Baldius Gherardeſca Flor. Seruita pridiè Idus Iunij 1625. magiſter ſalutatus, & patrio Collegio adauctus, erga Deum pietate, morumque ſuauitate, ac candore admirabilis planè vir, politioribus literis, atque in omni Theologicæ facultatis parte præclariſſimus. Quare in celeberrima Piſana Academia adhuc iuuenis Dialecticam, ſacráque poſtmodum Theologiam ſumma cum auditorum admiratione, atque vtilitate profeſſus eſt. S. Inquiſitionis Piſarum Conſultoris, librorumque Cenſoris munus obtinuit. Quo ingenij acumine, quo mentis robore, atque profunditate polleret, opera, quæ typis mandauit abundè teſtantur; *Dialecticas Inſtitutiones, rerum actualitatem in ordine ad motum, Theologicum curſum, quem ſub* Mo-

Monarchia Chriſti titulo inſcripſit, quinque voluminibus, mira verborum, ac ſententiarum elegantia abſoluit; nouaſque opinandi rationes adinuenit. Dignus propterea, qui, & Claſſicus, vt aiunt, Magiſter, & Doctor appellaretur, & ab inſigni Flor. Apatiſtarum Academia plenis ſuffragijs Theologi eminentis cognomentum conſequeretur. Plura alia in lucem edidit, quæ optimi huiuſce viri virtutem, ac doctrinam redolent. Vita migrauit anno ſal. 1660. Flor. die 18. Octobr. Septuagenario maior, ſolemnis exequijs meritò ei perſolutis coram Præſide Generali Puccinellio, elegantiſsimè pro dignitate laudatus à M. Io. Dominico Leonio Dominic.

Gratia, ſeu Gratianus Flor. Ord. Erem. S. Auguſt. Philoſophiæ ſacrarumque literarum doctor percelebris, Vniuerſit. *ſuper ſententiarum libros ſubtiliſſimas edidit quæſtiones;* Miſſus hic aliquando à Republica Flor. ad Galeatium Mediolanenſium Ducem, tantum eloquentia valuit, adeò blandè duram hominis mentem flexit, vt illius animum alioquin ira feruentē ad pacem cum Florentinis componendam induxiſſe feratur, ad quos etiam à Papa fuit deſtinatus olim legatus. Deuixit an. 1431. Elſſius.

Guido Presbiter Pratenſis, primùm Vniuerſit. Biblicus Lector, mox in Theologia Baccalaureus, tandem doctrinæ, morumq; probitate inſignis, primus omnium, quod ſciatur ſecularium inter regularium magiſtros connumeratus, iure optimò in album referendus, quippè, qui nouem annos ſacram ſcripturam, & magiſtrum ſentent. interpretatus maximum de ſe teſtimonium exhibuit. Quibus illud memorandum accedit, quod magiſtralia ſuſcepturus inſignia habuit in riguroſo certamine M. Franciſcum Sauonenſem, qui poſteà fuit Sixtus IV. ſubtiliſsimum arguentem; S. Archiepiſ. Antonin. aſsiſtentē, & Chriſtophorum Nouaria poſteà ſeruorum Generalem Promotorem. Quibus feliciſsimis auſpicijs in ſacra maiori æde ſolemni ritu inauguratus fuit 18. Kal. Iulij 1451.

Guilielmus Becchius Flor. Auguſt. Bononiæ, primùm magiſterij Theologiæ inſignitus gradu, patrio adſcriptus Collegio 6. Maij 1440.

1440. generis nobilitate, non tam pręclarus, quam doctrina, in qua fuit reſolutus, Patriæ etiam (quod mirum eſt) in prædicando,& legendo gratiſsimus,à ſacris per decennium Card. Alexandro inſeruiens,Senis communi plauſu ſupremus Rector Ordinis eligitur anno 1460. cui laudatiſsimè,& vtiliter per decennium præfuit vſque ad inaugurationem Feſulani Epiſcopatus, euectus à Paulo II. an. 1470. Abbas ſimul S. Benedicti in Alpibus. Effetę deceſsit ætatis per decennium etiam cum ſumma ſui laude prædictæ adminiſtratus Eccleſiæ, anno 1480. vt ex Inſcriptione marmoreo ſepulcro eius appoſita, liquet in S. Spiritus clauſtro vbi quieſcere voluit apud ſuos tumulatus cōfratres, varijs relictis ſui ingenij monumentis, quæ complectuntur *Philoſophica, Theologica, Iuridica, & Medica*, de quibus ſingillatim Elſsius,interque eminent, *Comment. in omnia Philoſophi opera, & praeclara expoſitio in primum ſententiarum librum:* Cernitur adhuc quoq; Flor. in Magliabechiana conſpicua Biblioth. opuſc. eiuſdem,ab alijs non percenſitum, *De Cometa ad Petrum Coſmi Medicem*, incipiens, *Cum ad S. Marci Biblioth. pergeremus*. Vghellus tom. 3. Ital. sacr.

H

Hieronymus de Neapoli Auguſtin.incorporatus ad Bibliam, & ſentent. an. 1431. die 4. Septembris iuxtà illius ſęculi præſcriptum,vt Baccalaureus Flor. Vniuerſit.poſteà an. 1437. S. Theol. Doctor, & facultatum aliarum pręceptor, aliquando sæcularibus præfuit ſcholis, docuitque olim Nicolaum V. vt refertur, poſt præclarè functus honoribus Vicarij Prouincialis Prouinc. Terræ laboris,ſimulque poſtmodum eiuſdem Moderatoris,Regentiſq; Neapolitani ſtudij,in Calabria poſteà deſtinatus Epiſc.Græcis literis perfectiſsimè inſtructus, *plura è græco latinè tranſtulit, ſcripſitque ſui Ordinis Centurias*, claruit anno 1440. ex Elſsio.

Hieronymus Ioannis de Flor. Ord. Præd. patrio Theologorum cætui anno 1419. adnumeratus,olim Bononiæ declaratus Ma-

giſter celeberrimus Vniuerſit. Rethor, & Philoſophus ſimul inſignis, pluries maximo auditorum plauſu in Florentino orauit Concilio ad PP. ob vnionem Græcæ Eccleſiæ cum Latina firmandam; Græciæ Prouinciæ Præfectus, & totius Ordinis Generalis Procurator, deuixit 30. Auguſti 1454. ſuæ ætat. 67. anno, pluribus conſumptus ægritudinibus, & præcipuè podagra ſumma cum patientia tollerata, plenus bonis operibus, ſuę doctrinę relictis monumĕtis, ſicut sũt *Duo Quadrageſimalia, quędam res grammaticales, & Antiphonarum volumen*, quę extare dicuntur in Conuentu S. M. N. cuius fuit illuſtre germen; Necrolog. eiuſdem Conu. num. 645.

Hieronymus Lentius Leonardi fil. Flor. Ord. Min. cum eſſet Epiſ. Chienſis in Grecia deſignatus, non ob id renuit patriæ Vniuerſ. ſtatuta ſubire, ab ea ob ſuas præclaras virtutes inuitatus pridiè Nonas Decembris anno 1498. prout conſueuerat Eccleſiarum Pręlatos Regularium Ordinum hęc Vniuerſitas honoribus proſequi, vt eiuſdem non ſemel ferunt Monumenta.

Hieronymus Roſatus Cler. Flor. 18. Kal. Febr. 1626. laurea donatus magiſtrali, atque patrio Collegio, cuius fuit aliquando diligentiſsimus Procancellarius, & meritiſsimus Decanus an. 1637. vir planè virtute, probitate, modeſtia, atque doctrina in patria fortè nulli ſecundus, Prothon. Apoſt. S. Officij Conſultor multę exiſtimationis, vt multi ab eo qualificati, teſtantur libri iam euulgati à pluribus, vt videtur paſsim, & S. Luciæ Eccleſiæ Flor. Prior; kal. Octobr. deuixit, ad tumulum aſſociatus non ſine lacrymis à Colleghis in eadē Eccleſia an. 1659. vbi ſolemnia celebrata ſunt ab eiſdem funeralia.

Hippolytus Cerbonius à Flor. Abb. Vallumbr. 9. Iunij die 1620. adauctus Collegio, iàm Magiſter Vniuerſit. Papienſis, noſtræque meritiſsimus Decanus anno 1625. multis præfulſit virtutibus, Academicus Philargita, etruſcæ, atque latinę linguæ Poeta non vulgaris, & Orator, nec non peritiſsimus Theologus, qui typis dedit innumeras Academicas Orationes, ac Poeticas elucubrationes, pręcelluit etiam in Hebraica lingua, quam per multos edocuit.

Hie-

Hippolytus Sefoldius Emporienſis Carm. 14. kal. Decembris 1627. Magiſter S. Theol. ob doctrinæ pręſtantiam plenis votis inauguratus, & in Collęgio receptus, religioſiſsimis pręfulgens moribus, atque ſingulari prudentia, ac ſapientia pręſtans, Regens pluries ſtudijs ſuæ Religionis pręfuit, Conuentuum Moderator, Flor. & alibi ſępè, nec non Tuſcię Prouincię Præfectus, ac totius Ordinis per biennium Vicarius Generalis, functus quoque munijs Concionatoris frequentis, ac laudabilis ſimul, S. Officij Conſultoris, atque Examinatoris Synodalis Florentiæ; Vitæ, & morum candore conſpicuus, atque exemplo, vir potens in opere, ac ſermone, deuixit in patrio cænobio ferè a ſe funditus conſtructo, ſeptuagenarius, 24 Octobris 1665. ibique mæſtisſimè tumulatus.

I

IAcobus Roſſius Seru. Flor. Magiſterij honore in patria Vniuerſ. 4. Idus Octobr. 1502. pro ſuarum virtutum meritis iurè poſitus, Theologus ſua tempeſtate in ſacris explicandis ſcripruris non ſecundus, *Introductiones Euangeliorum totius anni poſteris declamaturis dicauit*, quarum in Biblioth. Annunciatæ ſeruatur archetypon, ex Gian. 2. Annal. par.

Iacobus Flor. Ord. Min. 4. Idus Septembr. 1453. approbatus, & receptus, vt erat in vtroque iure doctisſimus, atque in moralibus verſatus, ſummam Raynerij de Piſis Ord. Præd. in meliorem redegit formam, auxit, euulgauit anno 1488. præter alia ſui ingenij opuſcula ex Poſſeuino.

Iacobus de Monte Falco Auguſtin. laurea, & Collegio Flor. ſimul donatus an. 1499. 4. kal. Auguſti, illius poſtmodum Decanus pluſquam dignus an. 1510. vltra præſcriptum tempus illius munere functus, poſtquã an. 1507. in Neapolitano Capitulo magna doctrinę ſuæ gloria effulſit. Qua permotus Card. Iulius Medices Flor. Archiep. poſtea Clemens VII. an. 1516. inſtauit, vt illi concederetur à Generali Ægidio Viterbienſi, ad hoc vt Synodo Flor. Diœc. intereſſet, vt grata res illi fieret, ſicut refert Elsſius.

Iacobus Tauantius à S. Stephani Plebe Seru. poſt exactum pere- gregiè ſuæ ſapientiæ in Flor. Vniuerſit. periculum 14. Kal. Iulij 1556. magiſtrali annulo decoratus, ſui æui inter eruditorum ſydera, ceu Sol renitens Seru. Inſtitum ingreſſus, Flor. ortum, Piſis octuagenatio maior 8. Idus Auguſti 1607. nobilem occaſum habuit. Is itaque Patauium ſtudiorum cauſa, atque Bononiam miſſus Mag. Stephanum Bonuccium, poſteà SS. Petri, & Marcellini ſub titulo S R. E. Card. præſertim audiuit, quo ſedulo præceptore, adeò profecit; vt mox S. Theol. Cathedram 46. & amplius annis Piſis ante, & poſt ſui Ord. Generalē præfecturā ſumma cum laude moderandam ſuſceperit. Eius autem lucubrata ſtudia, tam varia, tam doctrinis referta, & tam multa fuere, vt ſi ederentur (Diui Auguſt. tradunt) ferè æquaſſe volumina. Plurima tamen adhuc viuens typis expoſuit, quibus profectò tanti viri ingenium, atque eruditionem omnes mirantur, & ſingulariter Bocchius in elog. Flor. vir. pag. 32. vbi ſanè præclara refert.

Innocentius Salius Flor. Vallumbr. 14. Kal. Nouembr. 1654. inter Collegas Theologos adnumeratus, iam ſalutatus S. Theol. Doctor in Piſana Academia, vir emeritæ profectò virtutis, publicæ literariæ paleſtræ in Vrbe Aretij Magiſter, & poſteà Prati, humaniorum literarum profeſſor maximæ exiſtimationis, Græcæ, atque Hebraicæ etiam linguæ publicus Lector, ac Muſicæ demum compoſitor celeberrimus. Deuixit anno 1661.

Ioannes de Monte Nigro Lombardiæ Prouincialis Ord. Præd. in albo Doctorum Flor. Vniuerſit. iurè merito repoſitus ob ſapientiæ, & eruditionis pluſquam ſingularis eminentiam, à S. Antonino Archiep. laudatus vt profundus Theol.; ſimulq; autelatus Ambroſio Camald. Abb. Gener. tantùm præualuit inter PP. Theologos Flor. Concilij in diſputationibus contra Græcos, tantumque pro concordia Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ inſudauit, quantum eiuſdem S. Synodi acta veriſſimè teſtantur referuntque Hiſtorici omnes, ſtrenuiſſimè dimicando, vt egregius fidei pugil cum alijs tribus ſingulariter è multis delectus,

Eu-

Eugenio IV. præſenre, ac Orientis Imperatore, contra Marcum Epheſinum, potiſſimùm in ſeſſ. 2. de Spiritus Sancti proceſſione; Quæ quidem diſputatio in ſequen. 5. ſeſſion. fuit, eo eiuſdem diſputat. Præfecto in Concil. peregregiè, & profundiſſimè agitata, qui ſolum cum ipſo Marco Epheſino in Concil., conſedentibus PP., manus conſeruit, demoſtratiuè ſuadendo hoc verbum, *Filioque* rectè fuiſſe ſymbolo appoſitum. Scripſit, inter alia, *tractatum de Conceptione Immaculata Virginis*, qui à Bandello citatur, & refertur ab alijs, qui de ipſo felicis ingenij, præſtantis doctrinæ, & energiæ Viro, loquuntur; Inter quos S. Antonin. 3. p. hiſt. tit. 22. c. 11., qui de ipſo loquens, deque eius confratre, ac contheologo pluſquam eximio Bartholom. Vbertino, de quo ſupra, vtriuſq; meritas, affert, vt oculatus teſtis ſingulares laudes. Spondanus ann. 1439 n. 3. Et nuperrimè eleganter nimis Ianuitius in concinna Bibliot. Veneta ſui Conu Præd. cum Horat. Iuſtin. in Act. Flor. Conc. p. 2.. Qui vt Sol inter cęteros effulſit, occidit an. 1448.

Ioannes Gactus Meſſanenſis Ord. Pręd., qui inter Baccalaureos Vniuerſ. Flor. numeratur anno 1454. 6. Idus Octobris, ab hoc Catalogo excludendus non videtur, vtpotè excellentis ingenij Vir, apprimè eloquens, ita vt ob vtriuſq; præſtantiā *Orbis* ſit dictus *Miraculum*. Cathedras publicè ſtrenuè Ferrarię, Bon. & hìc Flor. moderatus eſt. Corā Sum. Pont. orauit, multis annis Sicilię Inquiſitor, Epiſc. Cephalenſis primū, demum Catanię prudens, probus, atq; ſuper ſuum gregem peruigil, poſt ſlantem, reſlantemq; fortunam, quam æquo animo eluſit, ſuæ vitæ finem vidit anno 1500. ex Cron. Ord. Præd. par. 5. de eo plura digna Io: Baptiſta de Groſſis in Catania Sacra §. 53.

Ioannes Carlius de Floren. Ord. Prædic. poſt Baccalaurei gradū, ad illum Magiſterij in patria Vniuerſ. aſcendit, eiq; adijcitur anno 1557. 14. Kal. Octob., & demum Decanus præficitur ann. 1469. Omnigena eruditione non minus, quam vitæ probitate, & ſingulari prudentia clarus multa peregit in religione, quam elegit S. Dominici, ope, & conſilio D. Card. Firmani, iam S. Bernardi Monachus, à S. Antonino, cui erat charus,

ordinatus Presbyter ſtudijs pluriès præficitur, & Conueutui S. M. Nouellæ bis datus moderator (alijs omiſſis dignis muneribus probè perfunctis) otio perpetuum bellum indixit, quia vel docebat, vel orabat, vel ſcribebat, vndè compoſuit *Quadrageſimale, atque Sanctuarium, Expoſitionem in Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales, Officij Defunctorum, Pſal. In exitu Iſrael, Vitas ſeptem Ven. PP. Conu.* S. M. N., & alia plura in Bibliot. à ſe viuens poſita, de quibus eiuſdem Necrolog. n. 739. omnia latino, & eloquenti ſermone, ac nitido, quo præſtabat edoctus iam à clariſs. Chriſtophoro Landino, quem habuit præceptorem, cui aliqua etiam dicauit Opuſc. Morti proximus, quam deuotè aſpexit 15. Maij die ann. 75., ſal. 1500., expoſuit etiā Pſal. 83 *Quam dilecta tabern.*, quaſi ad ea piè rapiendus veniſſet, honorificè humatus in D. M. N. Templo. Tantæ fuit doctrinæ, vt nonullas concluſiones ex nongentis D. Io: Pici Co: de Mirandula ſubtiliter valuerit impugnare. De eo Ghilinus in Liter. Theat. par. 2. & alij, Necrol. S. M. N. n. 739.

Ioannes Annius de Viterbio Ord. Præd. 15. kal. Ianuar. 1463. ad Senten. incorporatus in hac Vniuerſ. Baccal., quantum eruditione ſingulari, & dignitate eam decorare ſtuduerit, pluſquam luculenter teſtantur varia eruditiſſima volumina, ac lucubrationes multiplices ſacræ, & prophanæ, quas referunt Bibliot. Dominicanæ; Nec non S. Palatij Apoſt. Magiſt., ad quod fuit aſſumptus an. 1499. Vitam cum morte commutauit 13. Nouemb. ann. 1502. Romæ honorificè in Mineruę Eccleſia tumulatus, memoria viuens vſq; ad noſtra hæc tempora ſtrenuè defenſus in rebus hiſtoricis à nonnullis doctiſſimis Viris contra eos, qui ſcriptis editis in lucem eum impugnare immeritò auſi fuere, pręcipuè à Macedo, & Thoma Mazza Gen. Commiſs. S. Off. Ord. Præd. nunc digniſs.

Ioannes Tancredus à Colle Vallis Elſæ Ord. Min. Collegio adunitus an. 1595. idibus Iunij, tum generis nobilitate, tum doctrinæ gloria, & prædicationis officio, quo erat inſignis eum cohoneſtaſſe compertum eſt, ſimul, cum ſuprema ſui ordinis dignitate, qua per quadriennium effulſit, ex Vicario Gener.

cuc-

euectus ad ipſam Romæ 1569. Requieſcit Florentiæ vbi deceſſit anno 1573. in almo S. Crucis templo vnà cum Generali Antonio Saſſolino Minerbino Epiſcopo.

Ioannes Comes Seyſellienſis Gallus Eremit. S. Auguſt. pridie Kal. Octob. 1621. Flor. addictus Vniuerſ. iam Doctor Sorbonicus omni doctrina, & comitate ornatus, Concionatoris exercuit munus in S. Mariæ de Aquis Eccleſia, & Diffinitoris in comitijs generalibus pro Prouincia Toloſana Romæ an. 1620. à Conſilijs Theologicis Sereniſs. Magnę Etr. Ducis Chriſtinæ Dux Lotharingię, & demum 1633. à confeſſionibus, poſt cuius deceſſum in Galliam reuerſus, vt ſibi, & doctrinæ quietius attendere valeret, plenus pietate, meritis refertus, ac diebus deuixit æt. annor. ſeptem ſupra centeſimum an. 1665. poſteris legandam relinquens *S. Fiacri Ord. S. Benedicti Vitam, quam Flor. ann. 1636. edidit.* Elſſius.

Hinc obiter colligat Lector noſtrũ Colleg. ſemper ab exteris in ſingulari fuiſſe habitũ pretio à ſuis crepundijs vſq; ad noſtros dies, nam & ex Gallia, & ex Hiſpania, immò ferè ex omni natione, quæ ſub Europeo cœlo eſt conuenerunt ad ipſum, vel laurea, vel cooptatione donandi, quorum non minor pars fuit virorum eruditiſſimorum, qui ad nos conuolarunt, vt partim ex hoc catalogo, & ex albo eorum in noſtris codicibus dilucidè poteſt videri, abſq; lõgiori nunc enumeratione. *Viuunt feliciter ad præſens duo PP. Mag. ex Gallia eiuſdem Sac. Inſtituti, de quibus ob vtriuſque modeſtiam loqui fas non eſt nobis.*

Ioannes Antonij A Matrice Ord. Eremit. S. Aug. in Baccalaureorum antiquo albo anno 1424. in S. Dionyſij craſtino repoſitus, illud condecoraſſe legimus doctrina, Studiorum Bononiæ, & Arimini sapientiſs. aliquando Regens, & muneribus præclarè functus, præcipuè Procuratoris Gener. non ſemel pro ſuo ordine. Piſis deuixit ann. 1466. iam anno 1432. ſalutatus S. T. Magiſt. Elſſius.

Ioannes Baptiſta Caffardus Senen. Carmel. Vniuerſit., ob eximias eius virtutes 18. Kal. Iulij 1565. adiunctus, poſt plurimorum Conuentuum Prefecturas, atque etiam Prouinciæ Tu-

ſciç, anno 1580. ſupremus ſui Ordinis Moderator affectus, & tunc etiam Senenſ. Academiæ adauctus; plura edidit pręcipuè in *Logicam facultatem*, *ſuper Sentent. & Concion. Quadrageſim.* maiora etiam editurus, niſi onere regiminum grauatus tantum non fuiſſet, ſub quibus in patria occubuit die 13. Aprilis 1592. Parcè de tam claro Viro hìc, ſed luculentius, digniuſq; Lucius in Carmelit. Biblioth.

Io: Bapt. Librantius de Budrio Seruita, Bononienſ. primum Doctor in Floren. relatus Vniuerſ. 18. Kal. Iulij 1565., cum in archigymnaſijs Bonon., & poſtmodum Piſano Metaphiſicam laudatiſsimè ſupra 36. annos publicè fuiſſet profeſſus, an. 1588 Generalis ſui Ord. renunciatus, in eadem obijt præfectura Romæ 12. kal. Aprilis 1590. iam ann. 1579. noſtri Collegij Decanus digniſsimus.

Io: Bapt. Arrighius Flor. Auguſtin. patriæ Vniuerſ. ab ann. 1565 18. Kal. Iulij perpetuus cultor, Vir vtraq; tam græca, quā latina lingua eruditus, omnigenaq; ornatus ſciētia præfuit ſtudijs Monachorum Vallisvmbr. an. 1570., & an. 1579. in obſequium Cardin. Farneſij literarum græcarum extitit Monachorum Criptæ Ferratę deſignatus Præceptor; in Gymnaſio demum Bononienſi an. 1593. Theologus publicus datus glorioſè eam cathedram multis rexit annis, & in lucubrationibus aſsiduus, *libros quatuor edidit inſcriptos Theoremata Elementi S. Theolog.* Flor. 1569. annoque 1572. correxit *Vnum tomum operum S. P. Auguſtini* hoc ei committente P. Generali, præter *varias elegantes orationes ab eo habitas, ſcientiarum etiam, & liberalium artium catalogum compoſuit, de què hominis beatitudine in vltima ſenecta fructuosè ſpeculatus*, interiit anno 1607. 22. Octob. olim S. Spiritus cænobij Prior, & anno 1580. Vniuerſit. meritiſsimus Decanus.

Io: Bapt. Borgherinus Flor. Patritius, & Canonicus 6. Kal. Iunij 1665. Doctoralia ſuſcepit inſignia, ac locum in patria Vniuerſ. omnibus plauſibiliter annuentibuę ob tanti Iuuenis dotes, quibus à naturali indole cumulatus videbatur, ſed potiſsimum ob eruditionem in Diuinis, humaniſq; literis, qua pollebat, Sac.

Theo-

Theologiæ Lector in Metropolitana ſuo peregregiè fungebatur munere, magnęque apud omnes Conciues dtat expectationis ob ſpecimen in Iuuentutis flore datū in componendis perbellè Orationibus, inter quas percelebris eſt ea *de D. Philippi Nerij laudibus*, ac *Elogijs*, vt teſtantur *tria*, *quæ pro S. M. Magdalena Pazzia excogitauit*; quæ adhuc plauſu ſingulari leguntur, non omiſſa graphicè concinnata *Inferiarum Deſcriptione*, *quas celebrauit ſolemniſſimè Ferdinandus II. M. Etruriæ Dux Hiſpaniarū Regi Philippo IV. Flor. impreſſa anno 1665.* Defloruit menſe Iunij 19. die, ætat. ſuę vndetrigeſimo ſal. 1669.

Io: Dominicus Leonius Flor. Ord. Præd. 15. Kal. Septemb. 1657 Patrio Collegio addictus, eiuſq; anno 1662. meritiſſimus Decanus, omni intellectuali virtute ſemper reſplenduit, præcipuus Philoſophus, Theologus profundus, Concionator celeberrimus, Orator facundus, & ſingulariter doctus, ſtudijs taliter aſſiduus, vt tātummodo ad ea natus videretur. Præfuit bis Regens Cathedræ Theologicæ in Conuentu S. M. N., in quo et fructuoſe docuit Philoſophiā, aliaſq; artes tyrones. Piſis per bienniū Metaphiſicus, Romæ Reuerendiſs. P. Mag. S. Palatij ſocius per aliquot annos, Florentiæ S. Officij à conſultationibus, atq; Synodalis Examinator, & in his omnibus muneribus egregius, atq; ad omnia obeunda pluſquam dignus, ac idoneus. Multa imprimenda reliquit, quorum impreſſa videntur *Orationes duæ elegantiſſimæ*, *quarum vna eſt de Theologia*, *& noſtri Collegij laudibus*, *quod nouus Areopagus ab eo inſcribitur*, ità omnibus numeris abſoluta, vt ab omnibus cum plauſu, & admiratione fuerit audita ſingulari, agnoſcentibus noſtram Vniuerſ. ità ſplendidam ab eo deſcribi, vt aliarum quarumcumq; Vniuerſit. felicitatem non queat inuidere. Altera *funebris* inter alias ineditas eiuſdem generis *eſt in funere Leonardi Lucattini*, ex eadem noſtra Vniuerſ. Theologi ſatis docti; *præter Diſcurſus ſacros aliquot*, inter quos pręcipuè eminet ille, qui *Area Nouella inſcribitur*, *Bononiæ dictus*, *& impreſſus in laudem S. P. Dominici* ibi ſepulti in marmorea tumba, *Arca* eius vulgariter nucupata; & tres Academicos etiam ab eo in Apatiſtarum di-

dictos Academia, ac *S. Roſæ Limanæ Vitam, quam graphicè compilauit.* Repentina quaſi morte occubuit Flor. ann. vndequinquageſimo ſuę ætatis, die 11. Auguſti 1671. magno literatorum mærore.

Ioannes Franciſcus Tempius Flor. Ord. Præd. 6. Idus Febr. 1650 inter Theologos patrij Collegij acceptatus, ob ſua merita literaria præclarus, laboreſq; in docendo diù exantlatos, Gręcæ, atq; Hebraicæ linguæ non mediocriter peritus, ſuauiſſimiſque moribus, atq; religioſis præditus, omnibuſque amabilis, præcipuèque gratus Sereniſs. Leopoldo Princ. ab Etruria; poſt ſui Conuentus S.M. Nou. præfecturam, per omnes gradus iam aſcenſus ad Regentatus apicem Studij Generalis Peruſini, deuixit ibi ætatis 52. ann. 1661.

Ioannes Gualbertus Tozzius Cler. Flor. 7. Idus Septemb. 1640. laurea, & Collegio donatus, illiuſq; Decanus an. 1657., ob hoc ſolum hic meritò reponendus (ſi alia eius merita non adeſſent) quia ferè perpetuus eiuſdem Procancell. fuit accuratiſſimus, atq; amantiſſimus Cultor, qui multos ſua traxit dexteritate ad illud idem percolendum, condecorandum, ac propagandum ex vniuerſis quaſi ſacris inſtitutis, vt iam compertiſſimũ eſt ex ipſamet Doctorũ copioſa nũc numeroſitate. Declamator feruidus, deuotus, ac non ſpernendus, qui non ſemel etiam in maiori ſacra Æde, & inſigni S. Laurentij doctas, ac fructuoſas Aduentuales habuit conciones. In pace tandem quieuit 25. Nouembris 1678. ferè ſexagenarius.

Ioannes Paulus Panzaraſa de S. Io: in Perſicheto Bonon. Diœceſ. Ord. Min. Inquiſitor Gener. Floren. Ditionis meritò ſuffultus anno 1618. die 2. Auguſti, iuſtiſſimè reponendus cum cęteris noſtri Collegij præclaris Theol., cum voluerit in ſuprema ſuæ vitæ periodo inter ipſius adſcribi Collegas, aliquot anteceſſorum exempla ſequutus; quare ab eis ſolemnes ſunt celebratæ inferię in S. Crucis almo Templo, pridie Kal. Octob. 1621., vt noſtri teſtantur codices.

Ioannes Paulus Bimbaccius Flor. Ord. Min. 8. Idus Maij 1631. in Collegiũ receptus ſingulari plauſu, quia Vir vndequaquè digniſ-

gniſſimus, ſublimis ingenij, ac incredibilis profundæ memoriæ, meritiſque onuſtus plurimis religioſæ pietatis, atq; ſpectatę doctrinæ, & admirandæ prudentiæ, vt teſtantur Moderatio Studij Floren. Conuentus S. Crucis, Sacr. Canonum in Vrbe Lectura, eiuſdemq; Cęnobij præfectura per quinquennium, necnon regimen Prouinciæ Tuſcię, & demum Galliarum Pronin:, & aliarum, quarum cum pleniſſima poteſtate fuit Generalis Vicarius ann. 1646., dignus Generalis Præfecturæ munere, quod non obtinuit ſolum inuidente fortuna, omiſſis cæteris muneribus, Theologi Sereniſs. Cardin. Caroli ab Etruria, Conſult. S. Off., atque Congreg. Indicis, nec non Examinat. Synodalis in Florentina, & Feſulana Diœceſi. Suggeſtu, Academijs, exedriſque percelebris apud omnes, à Magno Etruriæ Duce Senenſis Gymnaſij delectus Moralis Theologus, anno ætat. ſuæ vndequinquageſimo Senis occubuit ann. 1649. 21. Nouemb. onuſtior meritis, quam annis, laude, atq; imitatione dignus, cui 29. die eiuſdem menſis in S. Crucis templo condignæ ſunt perſolutæ exequiæ Ioanne Bandoccio Vallumb. laudes ipſius dicente coram toto Collegio. Conſtitut. Vrbanarum ſui ordinis præfuit euulgationi, ac conditioni, ſcripſitque Italicè, ac edidit Flor. an. 1645. *opus prænominatũ Deuotio SS. Nominis Mariæ Diſcurſibus explicata pro Sabbatis Quadrageſimæ*.

Ioannes Vincentius Donius Flor. Eques Hieroſol., ac Clericus 5 Idus Septemb. 1620. patrio aſcitus Collegio, laurea in eodem condecoratus, aliquando ipſius etiam Procancellarius, ac ſemper eius perpetuus, atque aſſiduus cultor, ob morum candorem, doctrinam, atque cum omnibus humanitatem ſingularẽ hic meritò collocandus. In Domino obdormiuit ſexagenario maior prid. kal. Decemb. 1650., cui ſolemnia corã toto Collegio celebrata fuere funeralia in Eccleſia Monialium à S. Maria de Chiarito nuncupatarum, quarum fuit annis bis duodenis à confeſſionibus, & à regimine in vtroque laudabilis ſemper.

Iulianus Verrochius Ord. Min. Dialecticæ, Philoſophię, Aſtro-

no-

nomiæ, & eloquentiæ ſtudijs, vltra ſolidam Theologiam egregiè inſtructus, cum huic Vniuerſit. nomen dediſſet, plura ſuo ingenio condigna Opuſcula compoſuit, præcipuè *in Ariſtotel. Dialecticam Annotat.*, quæ ſolum extant; Demùm ab Antonio Mediceo eiuſdem Inſtituti, & Vniuerſ. Theologo ob ſingulares animi dotes marmoreo ſepulcro cum elogio in S. Crucis Æde donatus, Obijt 1413.

Iulianus Philippi Flor. Carmel. Magiſterij inſignia Vniuerſit. ſimul ei addictus ſuſcepit an. 1461. vndec. kal. Decemb., Tantæ Vir prudentiæ, & probitatis; vt nil mirum videri debeat, quod de eo circumfertur, quod Tuſcam Prouinciam ſui Ordinis ſeptem ſupra viginti annis adminiſtrauerit, ex quo tempore cænobium quoque Floren. ferè funditus erexiſſe dicatur, non tamen concionandi munere, quo potiſſimum valebat, prętermiſſo quamquàm tot preſſus curis, ac laboribus; quin, & *Comment. in Cant. Cantic. quæ extant in Bibliotheca Carmelita* luculenter compoſuit; Vita tandem ita indefeſſus, eſt functus 1481.

Iulianus Riſtorius de Prato Carmel. omnium ferè ſcientiarum eruditione excultus, poſt Piſis Magiſterij acceptam lauream, Vniuerſit. ingredi promeritus 15. kal. Martij 1550., multos annos, Senis, Piſis, atq; Florentiæ Mathematicas, & præcipuè Aſtronomicas facultates publicè profeſſus; multa edidit in eo genere tantæ extimationis præclara monumenta, vt apud Etruſcos Principes perpetuò aſſeruari meruerint; Vnde, & ipſe de ſuo inſtituto benemeritus ſtatua, elogioque in marmore in Eccleſia Carmelit. Flor. dignus eſt habitus, modò in Periſtylij limine appoſitis, cum Flor. deuixiſſet ann. 1576.

Iuſtinianus Marſilius à Prato Vallumbr. Prælatus, 15. kal. Febr. 1630. laurea Doctorali, & Collegio cohoneſtatus. Lector Artium in Patria, Ciuit. Aretij, & alibi, Concionator cōſpicuus, Philoſophus, ac Theologus præſtantiſſimus, immò ſcientiarum omnium in ſua Religione, demumque rarus in Paſſiniano cænobio Magiſter, moritur ann. 1645. munere Decani noſtri Collegij actu laudabiliter fungens, relicto inſigni *De*

Sa-

Sacramentis tractatũ, qui æternum reddit apud ſuos confratres in dies ſemper ipſius nomen, atquè plauſibile.

L

LAurentius Cardonius Flor. Dominici filius Ord. Præd. Magiſter Patauij inauguratus,ac deinde in patria Vniuerſ.conſcriptus ,eiuſdem poſteà Decanus anno 1434., doctrina , ac prædicatione percelebris, atq; prudentia clarus, præfuit Conuentui S. Mariæ Nou., cuius erat nobilis alumnus, nec non societati Peregrinantium extitit Vicarius, poſtquam ob fidei Chriſti zelum , ac eloquentiæ gratiam ad prædicandum infidelibus mitti fuit dignus, vt commilitonibus præeſſet ſuis, liberalitate,& dulci conuerſatione ſingularis, & conſpicuus moribus quoquè , Epiſcopus Sagonenſis deligitur ann. 1435., quo in munere per triennium circiter perſiſtens, in Patriam reuerſus,deuotiſſimè ſpiritum Domino reddidit an. eius 1438. 26. Iunij eidem ſuo Conuentui munificus. Necrolog. 611.

Laurentius Gherardinus Thomæ fil. Flor. Ord. Prædic. Auenioni Mag. ſalutatus 4. Idus Aug. 1455. Collegiatus poſtmodum in patria Vniuerſ. ann. 1470. pridiè idus Iunij meritò iure euaſit ob ſedulam ſtudijs nauatam operam extra Patriam in ſuæ iuuentutis flore, in Gallia primùm, deindè in Anglia ; quibus in Regnis ita profecit,vt à confeſſionibus inſeruire meruerit Margharitæ Britanniæ Reginæ Renati Trinacriæ Regis quondã ſorori,quo in munere plura recordatione digna peregiſſe ſtrenuè, & pluſquam viriliter tempore præliorum, ſimultatumque, quæ exortæ fuerant inter Regni illius proceres aduerſantes Henrico piiſſimo, & deuoto Regi, enarrantur; Oratoris, ac Mediatoris fungens munere apud Galliæ Regem eiuſdem Margharitæ, nec non alios, multis ſuperatis periculis, vitæq; perpeſſus non parua diſcrimina, fideliter perpetuò ſe gerendo, vt opem quam poſſet exiberet Reginæ,à qua multis cohoneſtandus honoribus, magniſq; locupletandus erat præmijs, ſi belli euentus varios infeliciter cum Henrico in vinculis coniecto non fu-

iſſet experta in Edoardum inclinata victoria; conſtanti pectore Reginam ipſam cum Filio ſecutus in Galliam, vt opportuno Regis potiretur auxilio, noua intendendo bella Florentiam interim reuerſus, rediturus in Angliam, ſi ſtantem proſpexiſſet fortunam, qua nō ſecuta, in patrio S.M. Nouellę permanſit cœnobio, cui ſemper fuit beneficus, ſemel, & iterum dum ei laudabiliter præfuit, nec non Prouinciæ, & Nationis Vicarius, quamquam durus, & auſterus exiſtimatus in regimine. Eccleſiæ præd. diù Operarius, gratus conciuibus, atq; beneuolus ſemper fuit, ac in arduis pertractādis negocijs ęquè prouidus. Deuotè tandèm deuixit 20. ſextilis die ann. 1493. annos natus 72. Necrol. S.M.N n. 712.

Laurentius Pantaleoneus Bargæus Abbas Camaldul. anno 1520. 8. Idus Iunij, laurea, & Collegio digniſſimè donatus, Vir profectò omnibus ornatus virtutibus, ac omnigena ex cultus eruditione, in Theologia profundus, in Dialectica, & Philoſophia ſubtilis valde, in arguendo Metaphyſicus admirabilis; in Mathematicis verſatiſſimus, vt multa ſui ſublimis ingenij, quæ reliquit teſtantur. Scripturæ ſacræ inſignis interpres, linguarumq; peritiſſimns, Declamator celeberrimus aliquibus præcipuis in ciuitatibus, à quibus ſcientiarum oraculum reputabatur. Principibus, ac Magnatibus Theologus acceptiſſimus, & gratus ob Muſicę etiam ornamentum, quo præfulgebat. Pluribus præclaris viris Moralia multa præſtitit conſilia, & ſingulari referta prudentia, qua pollebat, vndè Vicarius etiam extitit Generalis ſui Inſtituti. Sui ingenij extant monumēta m.s. in Monaſt. S.M Angel. Bibliot., & pręſertim ſuper *Epiſtol. ad Rom.*, & *De ſui ipſius cognitione* opuſculum, *præter Philoſophica nonnulla*; Deuixit, in æternum victurus apud poſteros, & ſuos præcipuè Monachos, quibus optimos libros omnis generis reliquit permultos.

Laurentius de Rubbia nobilis Flor. Canon. & Abbas, Doctoralia inſignia ſuſceptus cum incorporatione in Patria Vniuerſ. 19 Kal. Ianuarij 1622. poſt ſuæ doctrinæ periculum factum; Ab Vrbano VIII. deindè Epiſcopus Cortonenſis, non ob affinitatē

cum

cum eo, ſed ob virtutes, animiq; dotes ſuffectus ann. 1628. ad Feſulanam deindè translatus Eccleſiam die 21. Auguſti 1634. Flor. deuixit menſe Ianuar. 1645. in S.M. in campo tumulatus Eccl. Vghellus tom.3. Ital sac.

Laurentius Vannius Flor. inſig. Oratorij S. Io: Bapt. Præpoſitus, ex Canonico S. Laurentij, 10. kal. Ianuar. 1651. inter cæteros ſęculares Clericos Floren. quorum virtutibus, probitate, ac eruditione cohoneſtabatur tunc noſtrum Collegium, refulſit laurea, & loco in eo donatus, iàm præfulgens vtriuſque Iuris Doctoratu, ità ſingulariter, vt non omni omiſſa recordatione Alberti de Bertis, Alberti Galganetti, Ioſephi Lucattini, & cęterorum Virorum Vniuerſit. in meritis conſimilium; iure meritò ſit hìc cum alijs omnibus præclaris Viris reponendus, potiſſimum ob morum integritatem, indefeſſum animarum zelum, & non ſpernenda plura munia, quæ laudabiliter impleuit; vnum ex quibus fuit miniſterium à sacris in Altari diù Sereniſs. Victorię M. D. Etruriæ præſtitum. Demùm longa conſumptus ægritudine, 3. Decemb. 1674. æt. ſuę 74. ann. Vitam finiuit, in præfato humatus Oratorio in loco humillimo ab ipſo iam pręelecto ſimpliciſſima cum inſcriptione, luculēter tamen poſtmodum laudatus in inferijs eidem à noſtro perſolutis collegio, vt par erat.

Lelius Medices Placentinus Ord. Min., iam pręclaro per Italas vrbes, & diſſerendo, & declamando de ſe præſtito exemplo, in Etruriam ſub M. Ducis Ferdinandi I. auſpicijs acceſsit; vbi primum in Piſano Lyceo ad Theologię cathedram euocatus, ſimul etiam S. Inquiſitionis Officium adminiſtrauit, ac ſubindè Florentiam accitus, vt ibi eadem prudentia eodem paritèr munere fungeretur, morti appropinquans, nè, & id ſibi condigni honoris præriperetur, in Floren. Vniuerſ. plenis ſuffragijs, vltrò honorificè fuit admiſſus. Obijt 4. Non. Ianuar. 1608. an. 1606. euulgato Bononiæ *Docto diſcurſu pro tuenda Sedis Apoſt. auctoritate, Paulique V. eius capitis manſiate*, vt par erat; Vndè pro hoc, & alijs præclarè ab eo geſtis, à celebri Viro M. Auguſtino Vigiano Seru. dignè in funebri pompa, oratione

laudatus concinna in S. Crucis almo templo, noſtro Colleg. aſsidente.

Lelius Baleonius Flor. Seruita, præuio rigoroſo examine Magiſter à ſuo P. Generali declaratus, viua omnium voce patrio adſcriptus Collegio Kal. Ianu. 1577. poſt Senenſis ſtudij ſuæ religionis præfecturam, omni quidē ſcientia, ſed ſacris potiſsimū diſciplinis ornatus, Piſanæ Academiæ publicus Theologus, præclarum *De Prædeſtinatione Opuſc. Flor. Typis mandauit* ann. 1577. Eccleſiaſticæ libertatis vindex acerrimus *multa contra nefarios ſui temporis nouatores* egregiè ſcripſit, ediditque. In Comitijs Generalibus vnanimi PP. conſcriptorum conſenſu totius ſui ſac. Ord. ſupremus Moderator eligitur ann. 1591. Vitam laudabilem Piſis finiuit pridie Kal. April. 1620.

Leonardus Datus Flor. Staſij fil. Ord. Præd. quantùm præclaram, & ſibi, & Dominicano Inſtituto, ac Patriæ, Vniuerſitatique notam adhibuerit, luculentiſsimè indicant virtutes, ac diſciplinę, quę maximę in eo extiterunt profectò, nam ex Inquiſit. Bononienſi, Ordinis Generali Procuratore, S. Palatij Magiſt., ſummus ſuę Prędicatoriæ familię Præfectus; in Conſtantienſi Concilio Martini V. Elector Italus, ad Ticinenſem Synodum Legatus vtraſque præſetulit ampliſsimas; hincque immortalis occubuit Florentię dum ad maiores euocaturus erat honores 17. kal. April. an. 1426. ęneo ſarcophago à Floren. Repub. in S. M. N. Eccleſia magnificè conditus cum ſatis parca Inſcriptione, ac memoria, quam liberalius exprexit Franciſcus Datus Cammilli filius Senator Flor. clariſsimi gentilis non immemor anno Chriſti 1677. Multa elucubraſſe refertur, inter quæ eſt opus *De flagellis, ſeu Quadrageſimale, Conciones de Tempore, ac de Sanctis, Orationes in Conſtantien. Concil. habita, & ſuper Ariſtot. Metheoram*, quę in Biblioth. prædicti ſui cœnobij, cui fuit ſemper munificentiſsimus m.ſ. adſeruantur. Ianuitius de eo in ſua inſigni Biblioth Veneta affabrè ſatis.

Leonardus Manſuetus Antonij fil. de Peruſio Ord. Prędic. noſtri Collegij Baccal. pro Biblia, & ſententijs incorporatus pridie kal. Maij 1438., ſacris literis, pietate, ac manſuetudine ſingu-

gulariter conſpicuus, poſt laudabiliter Romanę Prouincię obitam Pręfecturam, Magiſter S. Palatij delectus, ad summũ ſui Ordinis Magiſterium aſſumptus ann. 1474. in Vrbe deceſſit 27. Iulij 1480. *Nonnulla ſcripſit opera Theologica valde docta.* Oldoinus plura de eo in Atheneo Auguſto, & ab ipſo relati.

Leonardus Coquęus natione Gallus, patria Aurelianenſis, Inſtituto Auguſtin. Doctoratu Pariſinus, ac Florent. cooptatione omnium plauſu, & voto an. 1600. 18. kal. Iulij aſſecuta. Vir profectò pr*æ*clariſsimus, qui à puero, felicis indolis, atq; ingenij argumenta dedit, raro acumine, ac ſoliditate mirabili publicè in Galliam cathedram rexit, Romam deinde accitus publicum Profeſſoris munus non ſinè ingenti laude, nomine, ac fama exercuit. Florentię Regens S. Theol. vſquè ad tempus, quo à conſilijs, & Confeſsionibus Chriſtinæ à Lotharingia M. Etruriæ Duciſſæ aſſumptus fuit, quo in munere humillimè, religiosè ſemper, ſine otio, & faſtu ſe habuit, totus in ſtudijs ſepultus, quibus erat tam magna Gręcarum, Latinarum, & Hebraicarum literarum peritia adaucta, vt ſuperare feliciter poſſet quemlibet alium, & multo perfectius adhibere. Scholaſticam tamen Theologiam omni maiori perfectione calluit, vt omnia generalia ſtudia, quibus pręfuit, & Capitula in quibus diſputauit, integrè ſemper ſatisfaciendo obiectionibus, & omnium dubijs, abundè poſſunt teſtari. Rarus, & ſingulariſsimus in omnibus Vir, ſcripſit *Comment. doctiſſima in lib. S. P. Auguſt. de Ciuit. Dei*, *Apologiam pro Sum. Eccl. Pontif. tom. duo Mediolani 1619. seu Antimornaeus*, *Examen Monitorij Iacobi primi Magnæ Britanniæ Regis*, *Friburgi impreſſum*; de quibus clarius Elſſius. Occidit ſui Ord., & noſtri Collegij iubar ſplendidiſſimum ann. 1616. 11. kal. Decemb. Oratione luculenter, & facundè laudatus à Dominico Ghiſio pręlo commiſſa, omnia eiuſdem mirè perſtringendo facinora, vt nil amplius poſſit deſiderari, vt noſtra enarrant Monumenta. *Fuit Socraticum pectus, & humanis, diuiniquе Iuris peritiſſimus*, vt Balduinus de MonteSimoncell. *In ſuo Mercurio pag.* 33. breuius concluſit omnia, quę multi de eo iuremeritò ſcripſere in laudem.

Leo-

Leonardus Giraldius Flor. Patritius, Emporienſis inſignis Eccleſ. Præpoſitus, ann. 1639. pridie kal. Martij ſalutatus Magiſt., Promotore ſapientiſs. Viro Thoma Caccino Dominicano, ſimulque noſtro adiectus Collegio Florent, neminе diſcrepante; cum inter claros Viros meritò reponatur ab Angelico Aproſio Viro præclaro Ord. Erem. S. Auguſt. in ſua nobili Aproſiana Bibliotheca propter claritatem præcipuè quam oſtendit in componendis lepidis carminibus Etruſco ſermone, quæ plurima, ac varia m.s. circumferuntur, & ſimul vniuerſali legmtur plauſu, ab hoc catalogo excludendus non videtur, cum etiam non excludatur ab Authore pluſquam erudito *Ital. Regnant. 3. part.*, qui ibi eum, doctum, humaniſſimum, ſuauiſſimumq; iucundiſſimæ conuerſationis Virum, ſicut erat profectò, deprædicat, & in poeſi præſertim lepida incõparabilem. Ob quę omnia Principib. Etruſcis gratus, nobilibus, & cunctis pluſquã amabilis, omnibus omnia factus, Emporij mortuus eſt ſeptuagenario maior 18. Ianuar. 1678. ouium ſuarum pręcipuo cum mærore, & præſertim sanctimonialiũ, quarum erat illic à regimine, ſimulque Flor. Synodalis Examinator meritiſſimus.

Liberius Brandolinus Florent. Ord. Præd. iam Magiſtrali præfulgens decore anno 1543. 17. Kal. Decemb. patrio adſcriptus Collegio, cuius fuit ann. 1545. meritiſſimus Decanus; ob ſingularem prudentiam Vicariæ Romanæ præfuit, & ob maximã in Dei Verbo declamando gratiam, atq; eloquentiam, quam in non paucis oſtendit præcipuis ciuitatibus à Paulo IV. Sum. Pontif. delectus, vt conciones haberet ſuæ ſorori apud S. Seueri Vrbẽ in itinere infirmatus ibi deuixit 9. Martij die an. 1556 magno cum piorum mærore ſepultus. Ex Necr. S.M.N. n. 873.

Lucas Mannellius Flor. Ord. Pręd. Omnigena ſcientiarum varietate excultus, ſummaq; inſignitus pietate, huic addictus Vniuerſitati, præclara, & Philoſophiæ, ac Theologiæ cùm diſſerendo, tùm declamando exibuit ſigna, nonnulliſq; ingenij monumentis poſteritati relictis, præcipuè *ſuper Epiſtol. & moral. Senecæ*, quem mandante Clemente VI. rectè explicuit, ab eodem ex Eccl. Ziconenſi, Epiſcop. Auximanus, deindeque Fanen-

nenſis ſublectus, vbi non multo poſt ann. 1464. plenus dierũ, & meritorum deceſſit. Necrol. S.M.N. n. 444. Vghell. tom. 1. Ital. sac.

Lucas Cionius de Senis Ord. Minor. noſtræ, & Patriæ Vniuerſit. digniſſimus alumnus, omnium virtutum ſerie clariſſimus, pluribus ſui Ordinis fuit decoratus Prçlaturis, Generaliſque Procuratoris munere apud Martinum V. totidemq; prçfuit Religioſorum Academijs; Verùm ſuæ non exiguæ ſapientiç in Concilio Ferrarienſi clariſſimum exibuit ſpecimen, vnus ex Theologis ab Eugenio IV. delectus pro conſtabilienda *Spiritus Sancti à Filio proceſſione*, iàm priùs ann. 1427. Senis Hæreticç Inquiſit. prauitatis. Vnde nedum patrij Collegij meritò dicendus eſt Pater ob veteres ipſius cum alijs compilatas Conſtit. verùm potiori iure eiuſdem, & noſtri aſſeuerandus eſt iubar, atq; præclarum decus. Deuixit anno 1499.. Vvad. to. 5. ann. 1424. & 1437. &c.

Lucas Borſianus Fulginas Ord Seru. Magiſtrali aula in Vniuerſit. prid. non. April. 1471. dignus adiudicatus, tanta deindè, & vitæ integritate, doctrinæ, ac prudentiæ ſplendore enituit, vt poſtquam Innocentio VIII. Pont. Max. à confeſſionibus diù inſeruijſſet ab eo inſignibus gentis Cibo, cognomineque donari meruerit, ac demum etiam ſuç Patriç trono Epiſcopali nobilitari die 3. Martij 1489. in quo ſedit vſq; ad ſui deceſſum an. 1500 ex Vghellio tom. 1. Ital. sac.

Ludouicus Arrighettus Frãc. fil. Patritius, & Can. Flor. an. 1633. 4. Id. Septemb. Magiſter, & Collega meritò effectus in patrio Collegio, qui Promotorem habuit Robertum Strozza tunc Concanonicum, morum ſuauitate, vitæ probitate, & ſolerria fuit ſpectabilis quoquè. Delatum ſibi regimen Monaſterij S. Mariæ Angelorum ſumma æquè pietate, ac diligentia curauit. Cuius quidem Virginibus ad virtutum culmen properantibus verbo pariter, & exemplo præluxit, domeſticis gerendis negocijs ſedulus adfuit. Demùm vita functus, quod ei ſummoperè in votis fuerat propter B. Mariç Magdal. Pazziæ ſepulcrum depoſitus ad Cenſorium diem cum eadem S. Virgine reui-

reuiuiſcere expectat V. Idus ſept. ann. ſal. 1637. ætat. ſuæ 50. Ità ex nobili marmorea Epigraphe in dicta Eccleſia pro ſarcophago tanti Viri appenſa.

M

MArcus Ardinghellius Flor. Ord. Præd. inſignis Vniuerſit. Doctor, Vir ſapientia, & moribus clarus, ad Epiſcopat. aſſumptus Pennenſem, & Adrianenſem anno 1352. nonis Nouemb., nouemq; annis his rectis Eccleſijs anno 1361. ad Sedẽ Camerinenſem translatus; vbi ſanctitate vitæ etiam præluxit, anno 1372. deceſſit. Ex Vghellio tom. 1. Ital. sac.

Marianus Saluinius Flor. Io:fil. Seru., Senis 3. Non. Ianu. 1453. ſolemnis Doctor inauguratus, eodemq; menſe, & anno huic patrio adauctus Colleg. Theologus, Philoſophuſq; miræ ſubtilitatis. Florentinæque Reiqub. apprimè charus, cuius, & egregiè *Hiſtoriam Ciuium contexuit*; apud quos etiam adeò Orator, ac Declamator facundus, & elegans extitit, vt mirum ſit, quod de illo in Monumentis Vniuerſit. noſtrę olim fuit proditum, nimirum triginta, & octo annis aſsiduè in sacra D. Mariæ Annunciatæ æde eodem ſemper plauſu, & laude ſumma auditorum aduenientium conciones habuiſſe; Cuius cænobio beneficus ingentem librorum vim ſuis expenſis conquiſiuit pro Bibliotheca augenda, Vniuerſitatique benemeritus ſemper; quamquam enim Epiſcopatus Cortonenſis dignitate præfulgeret, ad eam meritò euectus an. 1455., tamen Decanatus munus an. 1463. ſubire non eſt dedignatus. S. *Antonini* inſuper Flor. Archiflaminis ob ſui ſtudij, profeſſionis. morumq; conſimilitudinem, ac probitatem ità fuit familiaris, vt eo ſit vſus quando ad puriores mores Diœceſim Flor. expendere meditabatur, muneris ſocium adhibendo ſuum. *Super Matthæi Euangel. etiam ſcripſit Comment.*. Effætę ętat. deceſſit an. 1476. in propria tumulatus Cathedrali.

Marianus Lucæ de Senis Carmelit. Patriæ, & Flor. collega Vniu. quam adijt an. 1428. pridie Kal. Febr., quoniam in monumen

tis

tis Patrij Collegij maximo habetur pretio, eo quia vnus ex conditoribus ipſius antiquarum Conſtitut. extitit, à Florent. quoque Collegio hic prætereundus minimè videtur, quamuis alia eius facinora neſciamus.

Marſilius Vaſquezius Toletanus Ciſtercienſis Ord. Abbas, plurimis Italiæ locis ſuarum literarum candore reſperſit, Florentiam appulſus tandem, totius eiuſdem Vniuerſit. plauſu inter alios Magiſtros receptus à Maioribus, cum eos non laterent ipſum delicias cum pietate habere, in rebus magni ponderis, à S. Officij conſultationibus, à ſacris Epiſcoporum, à librorum qualificationibus, & cenſuris, & à caſuum conſcientiæ conſilijs adhiberi dignus fuit, nec non voto ſuper quæſtionem de Auxilijs, requiſitus eum proferre nomine Clement. VIII. Sum. Pont.. Inter tót ſui ingenij labores, multa luce digna reliquit, quæ maximo habentur in pretio in Ciſtercienſi Flor. Biblioth. *De Reſtitutione*; *De Incarnatione ſuper 3. par. D. Thom.*; nec non *abſolutum opuſculum ſuper Sphæram*, *Ethicamque Ariſt.*, vtpotè in humanioribus literis, ac Mathematicis perpolitè inſtructus. Flor. deceſsit 9. Kal. Iulii 1611. ſuæ ætatis 65.

Martinus Florent. ex ord. quondam Humiliatorum Antonij Hieronymi fil. an. 1470. 13. Iulij die Doctor, & Collegi Vniuerſ. ſalutatus, ob id ſaltem ſilentio non prætereundus, quod præter morum, doctrinæq; præſtantiam, Collegium patrium diutiſſimè reperitur incoluiſſe vſq; ad an. 1518., atq; in eodem fuiſſe Decanum aſſumptum an. 1484.

Matthæus Petri filius Testi dictus Ord. Ser. Magiſtrorum inſignijs ſolemni pompa receptis in maiori æde, prout eo tempore erat aſſuetum, in S. Matthæi Apoſt. feſto ann. 1424. iam Vniuerſit. perdignus Baccalaureus, ac notæ literaturæ, Cortonenſi Epiſcopatu decoratus an. 1426. non. Octob., quiq; inter Coſtantienſis Concilij PP. Theologos annumeratus fuit, ac Martino V., cuius fuit in Cardinalatu à confeſſionibus, & Eugenio IV. Sum. Pontiff. in pretio fuit, nec non poſteà Nicolao V., à quo (iam ſchiſmatis tempore ſpoliatus Epiſcopali dignitate ann. 1439. 9. Sept.) fuit in priſtinum reſtitutus honorem an. 1449.

5. kal. Iulij, quem vſque ad an. 1455. retinuit, eoque deinde munere ſe exoluens in S. M. Nouæ cælebri Flor. Xenodochio, ad vitam contemplatiuam, priuatamq; agendā tutiſſimum ſeceſſum inuenit, ibique decedens an. 1458. id. Maij ſepulturæ honorem accepit, nonnullis relictis ſuæ doctrinæ *fragmentis in quatuor lib. ſentent. & ſuper sac. Script.* in D. Annunciatę Biblior. Ex Vghellio tom. 1. Ital. sac.

Matthæus Perez Matthæi de Valentia fil. Auguſtin. Inſtituti, noſtri Collegij Baccalaur. eſt adſcriptus 13. Kal. Nouemb. 1468. Aragoniæ, & Valentini cęnobij iure meritò decor, & vir eminens appellatus ob doctrinæ ſingularitatem, & prudentiæ præſtantiam, quibus præfulſit an. 1475. Regens, Vicarius poſtea Generalis, & Aragoniæ Prouinciæ Moderator, quibus muneribus egregiè perfunctis, mortuo Venerab. Iacobo Perez eius patruo ann. 1491. ipſi ſucceſſor effectus eſt Chriſtinopolitani Epiſcopatus, atq; etiam Propræſul Valentinus; Deceſſit ann. 1507. peſte ſublatus 4. Martij die, apud ſuos Confratres in Valentino tumulatus cænobio. Elſſius.

Matthias de la Rapita Aragonius Ord. Præd. Conuentus Balagarij alumnus, in hac aulatus Vniuerſ. 7 kal. Maij 1444. illam doctrina colluſtrauit tanquam magni nominis Theologus, atq; honoribus, nam Ioannis Aragonum Regis à confeſſionibus, ac Roſſilionis comitatus Inquiſitor ann. 1475. quo floruiſſe inuenitur. Ex Fontana Ord. Præd. Hiſtorico in Theat.

Maurus Florent. Ord. Seru. ad quem imminente iam Inſtituti Humiliatorum iactura, cui erat prius addictus, veluti ad ſecurum B. M. V. Aſylum confugerat, de concordi Magiſt. aſſenſu patrię Vniuerſit. curauit adſcribi 4. kal. Nouemb. 1532. literis Latinis, Græcis, Hebræiſq; inſtructus, & licet ſacras Scripturas memoriter adeò fixas teneret, vt innatas habuiſſe crederetur, Muſicis, tamen Mathematicis, ac Aſtronomicis, liberalibus ſtudijs omnibus plurimum delectatus, titulos condignos ſuæ virtutis quibuſdā in Florent. Academia ſtudioſorum iudicio promeruit, vt *Phonaſcus*, & *Philopanaretus* vniuerſorum admiratione nuncuparetur; *Sphæram Coſmicam*, *Platonicam*, &

Theo-

Theologicam veluti ſublimis ingenij ſui monumenta præclara ad Coſmum Medicem dicauit, priuſquam Florentiæ deficeret 5. Kal. Octob. 1556.

Maurus Curſius Flor. Abbas Camald. tertio non. Octob. 1625. Laurea, ac Collegio condecoratus; necnon poſtea eiuſdem Decanatus honore ſemel, atq; iterum, multis ſuæ Congregationis iam perfunctus laudabiliter muneribus, Virque profectò literis cultus, & tam genere, quam religione clarus, omnibusque demum ornatus virtutibus Catholico Præſule dignis, ab Alexandro VII. Epiſcopus Miniatenſis adlectus fuit anno 1662. menſe Iulij, inibique vixit vſq; ad an. 1680. numquam ocioſus, ſed in augendo ſpiritualia, ac ſuæ Eccleſię temporalia ſemper ſedulus. Vghell. tom. 9. Ital. sac. in append. ad 3.

Michael Sertini della Caſa Flor. Ord. Præd. Vniuerſ. Patriæ antiquus alumnus, à Ioanne Carbo inter Viros claros cœnobij S. M. Nouellæ meritò recenſitus; quia maximæ literaturæ vir, non minus, quam gratæ conuerſationis, atque præcipuę prudentiæ, qua præfulſit Originalis prædicti cœnobij moderator, Romanæ Prouincię præfectus, ac tandem Italię Vicarius Gen. In patria deceſſit ſenio confectus, & laboribus feſſus an. 1415. 23. April., ocij inimicus perpetuus, vndeq; & Pſalteriorum Exarator aliquando extitit. Necrolog. num. 565.

Michael Durazzinus de Emporio Auguſtin. iam Romanus in curia aulatus, adiunctus eſt Floren. Collegio 13. kal. Auguſti 1465., eiuſdem poſtea ann. 1483. Decanus, Multæ auctoritatis, extimationiſq; vir, ſed maioris literaturæ, facundiæ, & percelebris Declamator in nonnullis Italiæ præcipuis Vrbibus; *Opuſculum* perutile, doctumq; edidit 61. *continens ſermones varios Flor. 1490. impreſſum in 4. quod Bartholomeo Soderino S. Frigdiani Priori dicauit*, ac demum meritis onuſtus plurimis deuixit in patrio cœnobio 3. non. Nou. 1498. magno cum honore tumulatus à ſuis conterraneis.

Michael Pocciantius Flor. Seru. Diuinæ, ſimulq; humanæ literaturæ peritia politiſſimus; rigoroſo examine probatus, Doctor, & Collega Vniuerſ. kal. Iulij 1565. declaratus iam præfectus,

chiduce Magdalena Auſtriaca, quę ſub eius ſedulo literario tyrocinio poſuit DD. liberos Excell. D. Antonii Medices, qui fuit Sereniſſ. M. Duc. Franciſci, quo tempore nouum excogitauit *Opuſc.* pro diuerſis faciliter perdiſcendis linguis cum Etruſca-latina Grammar., quod an. 1671. Flor. euulgauit ſub auſpiciis Seren. Coſmi nunc M. Etrur. Duc. feliciter regnantis, *Fabbrica del parlare* inſcriptum. Demumq; Flor. deuixit 28. Iunii 1665. ſeptuagen. maior, in S. Romuli tumulatus Eccl.

Michaelangelus Naldinius Flor. Seruita, Humaniorum, Philoſophicarum, atq; Diuinarum literarum vir conſultiſſimus, plenis calculis in Vniuerſ. cooptatus 10. kal. Auguſti 1551. omnium primus fuit, qui Flor. ex Decreto ſac. Conc. Trid. à ſacris Eccl. Metrop., ac D. Antonii Altouitę Archiepiſc. Synodalis Theologi munera exerceret, de quo idem D. Archipręſul aſſerebat ſe numquam ab alio, vel ſacrę paginæ arcana, vel Philoſophię adita melius enodata percepiſſe, quem Coſmus M. Etr. Dux frequenter in maiori ſac. æde audiens ſacram Scripturam diſertè explicantem, admirabatur, ac venerabatur ſimul. Præclari eius ingenii extant adhuc 32. *Homiliæ*, vt perpetua monumenta *in Biblioth. D. Annunciatæ, ſuper lib. Iob*, ætat. ſuæ 60. an. ſal. 1570. fer. 5. in cœna Domini terrena reliquit, cœleſtia perccepturus ęterna fercula.

N

NIcolaus Spinellius Florent. Ord. Min. ann. 1434. in patrio Collegio relatus eiq; an. 1439. addictus, eũ condecorauit tum Decanatu anno 1447., tum poſteà anno 1459. Vicarij Generalis, ſeu totius Italiæ Commiſſarij pro ſuo Ordine præclaro munere, ſed magis ſingulari doctrina, & ſacro eloquio, quo tuba euaſit reſonans ſemper in omni Italiæ parte. Vt Doctor in Philoſophia, ac Theologia magnificus, *de vtraq; ſcripſit facultate*, ex Mariano Floren. in tract. de Prou. Tuſciæ c. 11.

Nicolaus Aurificus Bonfilius Senen. Carmel. in patria Vniuerſit. laureatus, eique, & noſtræ Theologus aſſociatus 18. Kal. Iulij 1565.

1565., vtrobique viſus eſt maximè fieri concurrentibus populis ad conſilia in grauioribus conſcientię difficultatibus percipienda, non minus vitæ probitate, quam ſolidę doctrinæ acumine omnibus conſpicuus. Multa edidit, inter quę *Tract. de Cenſuris*, *Monialium inſtructionem*, *modum*, *quo Paſſio Domini deflenda eſt*, *Syluam variar. Orationum*; & in Florent. gratiam *Summam moralem* ab eius nomine Aurificam meritò appellatam, Venetijs typis demandatam, præter aliud opus, *Triumphus Crucis*, inſcriptum, relictum cum alijs ineditis (quæ recenſentur in Biblioth. Carmelit. à Petro Lucio cum laude, & diſtinctione) in Conuentu Senen. Carmelitar., cui poſtquam prefuit, ac Tuſciæ Prouinciæ, obdormiuit in Domino ann. 1601. ætat. ſuæ 72.

Nicolaus Sermartellius Flor. Ord. Præd. 12. idus Februar. 1610. huic aſcitus Collegio, Vir omnibus abſolutus prorſus virtutibus, animiq; dotibus, ſcientiaq; ſimul celebris, ac prudentia conſpicuus; Romæ, & Peruſij omnia literaria munera non modica laude peregit ſingulari ibi, & alibi cum diſcipulorum profectu. Præfuit in Vrbe Conuentui Mineruæ, inter alias multas inſignium cœnobiorum prefecturas, quas ſemper laudatiſſimè exercuit, ibique Epiſcoporū Examinator delectus fuit à Sum. Pont. Clem. VIII. ab eoque dilectus ſingulariter. In Patria bis rexit S.M.N. Monaſterium multò cum eiuſdē in omnibus fœnore, regiminiſq; laude, pariterq; ſemel, & iteurm Romanam ſui Ordinis Prouinciam omnium ſubiectorum plauſu. Florentię Archiep. Theologus, eiq; gratiſſimus, dierum, ac meritorum plenus, probitateq; refertus, tertio ſuperoctuagenarium ſuæ laudabilis vitæ anno, eiuſdem perſoluit vſuram ann. 1625. 4. idus Decemb. Necrolog. S.M.N. n. 1059.

Nicolaus Pierius Flor. Patritius, & Can. Metropolit. Archipresb. non. Martij 1636. iure meritò in patrio Colleg. Doctor, & alumnus communi plauſu, plenoq; ſuffragio renunciatus, tantū in agibilibus, Prior S. Mariæ Innocentum Flor., valuit, vt in vigilij prudentia centoculus Argus, ac in arduo regimine cœlifer Atlas, in marmoreo eius perpetuò recenſetur ſarcophago;

De-

Demùm poſtquam ſuis hęreditarijs bonis, ac ex induſtria benè partis locupletius reddidit Orphanotrophium ſuæ demandatũ pietati prænominatum, naturæ ineluctabili fato, ac mortis tabificis armis, occubuit ann. æt. 55., Domini verò 1641.

Nicolaus Ciampolus Flor. Ord. Prædic. germanus frater Ioannis noſtro tempore maximi nominis Viri, olim Summ. Pontiff. Gregorij XV. & Vrbani VIII. à ſecretis, inter latinę facundiæ proceres digniſſimi, de quo numquam ſatis in Muſęo Hiſtorico Io: Imperialis, in 2. par. Elog. D. Laurent. Craſſus, àc in Vita Virginij Cæſarini, in qua ſic habetur nouiſſimè ab Anguſtino Fauorito Viro clariſſimo: *In Ciampolo liber ſpiritus, noua omnia, concitata, grandia, inaudita, plena periculi, & audacia ad Pindarum aſpirantis, quæ propterea omnem ad ſe rapiunt admirationem theatri*. Non ob huius tamen eximia merita, ſed ob proprias virtutes laurea donatus Magiſtrali ſolemni pompa in patria, Vrbano VIII. annuente, ſimulq; Florent. Collegio pluſquam libenter adiunctus ann. 1647. 3. idus Septemb. iàm Florent. Diœceſis Synodalis Examinator, Publicuſq; in eadem Vrbe, Moralis Theologiæ Lector, ac meritiſſimus profeſſor; in Legalibus vtriuſq; iuris verſatiſſimus, vt *Conſiliorum variorum volumen* meritò m.ſ. ſeruatũ ad præſens ab eius olim amico eiuſdẽ Inſtituti cœnobita, inter alia teſtatur. Obijt in patrio S. Marci cœnobio ann. 1648. 15. Maij.

O

ONuphrius Steccutus, ſeu de Viſdominis Flor. Auguſtin. Vir vniuerſali literaria eruditione refertus, magnuſque Theologus apud omnes, poſt magiſtrales honores, poſt innumera præclara ingenij teſtimonia, *opus in primum lib. ſentent.*, *in 4. Euangelia*, *Harmoniam Euangeliſtar. in Acta Apoſt.*, *Sermones ad populum, & alia elaborauit*, quæ in Auguſtin. Peruſino cœnobio extare aſſeruntur ab Elſſio; & tandem magis ſuis meritis ex Epiſcopo Volaterrano, Florent. renunciatus ann. 1497. pridie Kal. Febru., & poſt decennium, Republ. Flor. mærente, à

Bo-

Bonifacio IX. ad ignobiliorem ſedem translatus, ſubeſſe magis quam præeſſe volens, elegit priuatam degerere vitam apud confrates ſuos Eremitas, quos reliquit an. 1403. in periſtylio Conu. S. Spiritus marmoreo ſepulcro tumulatus cum parca fatis Inſcriptione, dignus Præſul ſanè ſimul, & ſemel aliquando Patriæ Vniuerſit., & Doctor, & Cancellarius ſemper celeberrimus. Vghellius tom. 3. Ital. ſac.

P

PAndulphus Cattanus à Diacceto, priuſquam Canonicali honore Metropolit. Eccleſiæ ob renunciationem Franciſci eius germani Epiſc. Feſulani, donaretur, Theologorum cætum meritò ingreſſus octauo Kal. Febr. 1570. tum ob doctrinæ copiã, tum ob morum grauitatem, atq; placidi animi comitatem, quà ſimul & venerandus, ac gratus erat omnibus, & præſertim Antonio Altouitæ Flor. Archiep. à quo Vicarius, ac Monaſteriorum Sac. Virginum Viſitator generalis, & Cuſtos ſuffectus eſt, ità diù his, aliſq; pijs muneribus officiosè functus, quàm diù vita perfunctus anno 1577.

Paſcaſius Bentacordius Flor. Ord. Præd. Venticordius dictus filius Bonaccurſij, in patria Vniu. meritò conſcriptus; ob prædicationis, & literaturæ præſtantiã, quã, vt cõpararet Cyprũ, & Pariſiũ olim petijt, vitæq; innocentiã, ab Innoc. VI. Pont. Epiſc. Lauacenſis an. 1365. ſuffectus; & in Campania à carnis ergaſtulo eſt ſolutus an. 1368. ſuæ æt. 45. Necr. S. M. N. n. 448.

Paulus Ionæ de Luca Ord. Min. ex Baccal. 4 non. Ianu. an. 1451. Birrecto Magiſtrali, locoq; donatus in Floren. Collegio, vitæ probitate conſpicuus, muneribus Vicarij Gener. Prouinc. ſui Ord. non ſemel præclarè obitis, Vicarij que etiam Gener. Doctrina non minus, quam Apoſtol. prædicatione ſingularis, inter eiuſdem claros Viros annumerandus conſultò, ſicut inter Doctorum Pariſienſium albo reponi promeruit. Suæ ſapientiæ, & pietatis monumenta extant *Symbola, quæ edidit de Immaculata B. V. Mariæ Conceptione.* Florebat ex Vuadingo ann. 1473.

Pau-

Paulus Attauantius Flor. Antonij fil. Seru. noſtro primùm nobilitatus in Collegio Doctorali bireto 6. Idus Febr. 1460. & Senenſi poſtmodum addictus 1472., patrioq; an. 1490., prę-ſtantiſſimus I.V.D. tum diuini, tum humani eloquij vbertate feliciſſima ſua tempora reddidit, varijs regionibus declamando peragratis, quem propterea Marſilius Ficinus in ſua Epiſt. *Orphaeum quemdam protulit, templorum parietibus vitam dantem.* Et poſt ſuſcepta S. Spiritus de Roma inſignia iuſtis de cauſis, ad Inſtitutum primùm reuerſus Tuſcię præfuit Prouinc. an. 1499. vitam Flor. relinquendo, in magnæ Matris Annunc. æde tumulatus, multis ſcriptis iam editis, quæ à Pocciantio in catal. Florent. Scriptor. diſtinctè recenſentur, & à Gianio in Annal.

Paulus Rondinus Flor. Carmelita 18. Kal. Iunij 1565. Vniuerſit. effectus alumnus, Vir magnæ eruditionis, & Eruditorum ipſe eruditiſsimus, fautor, ac amator perpetuus, toto ferè concionando peragrato per 42. annos Chriſtiano orbe, non ſine maximo auditorum profectu, ſuiq; ſimul Carmelitici Ordinis honore; diuerſarum interim Prouinciarum, ac Terræ sanctæ Præfectus, ſumma tandem cum laude deuixit ann. 1584. 29. Nouemb. olim Collegij meritiſſimus Decanus ann. 1568. De eo dignè, ſed non ſatis in Biblioth. Carmelit. Lucius referens eius plantationis literariæ præclara fuiſſe germina *Ambroſium Pratenſem*, de quo ſuperius, *Theopbilum Palmerinum*, *& Andream Pellium olim Tuſciæ Prouincial.* Flor. claros Viros Patrij Collegij, ac eiuſdem Inſtituti, quorum, & aliorum illuſtr. omittitur hìc conſultò enarratio, ob non ſemel quæſitam, ſed numquam habitam facinorum eorumdem ſufficientem notitiam, quam poteſt habere opportùnius lector *Speculi Carmelit. Danielis à S. Maria*, quod etiam videre optio data non eſt.

Paulus Arrighius Flor., de Emporio dictus, Seru. 8. idus Iulij 1579 noſtrę Vniuerſit. adiunctus, non vulgaria eximię literaturę monumenta reliquit, qui *de Bonitate Principis apud Mareſcotos præclaro edito volumine*, dum alia edenda perplura meditaretur morte præuentus 17. Kal. Ianu. 1587. vix trigeſimi octaui ſuæ ætat. curriculum expleuit.

Paulus Burghesius Senen. Ord. Præd. iàm S.T. Mag. ob emeritam doctrinam Romæ ſalutatus ann. Iub. 1650. & an. ſequ. in Flor. Colleg. conſcriptus 7. idus Sept. Hebraicæ, Græcæ, Latinæq; linguæ apprimè gnarus, Angelici fontis hauſtus toto pectore ebibit, in dicendi genere, quod Didaſcalicum vocant excelluit, non inanibus verbis, ſed pondere ſententiarum validus, ac fructuoſus auditoribus, quos præcipuè habuit Vener. Societ. S. Benedicti Albi confratres, cui viginti ferè annos verbo, & exemplo ſingularis probitatis præfuit. In S.M. Nou. cœnobio bis anteſignanus meritiſſimus, Neapoli Virginibus Deo, & D. Dominico dicatis forma virtutum fuit. Diuturna, grauiq; valetudine conflictatus, tandem viam vniuerſæ carnis ingreſſus occaſum habuit vbi ortum ann. 1659. à Verbo Incarn., 24. Ian. die, ſepultus in Senen. S. Spir. Eccleſ., cui pro meritis iuſta perſoluta ſolemniter à prætatis Sodalibus D. Benedicti funera fuere, & 26. Febr. die in S.M.N. Templo, præſente Collegio peregregiè habita Oratione elegantiſſima à Mag. Bartholom. Ricchio Sen.. Huius probi Viri fuit germanus frater *Mag. Petrus* noſtri Colleg. etiam alumnus, dignus laude ob mores religioſos, & pios, literaturamq; non mediocrem, in eodem Senis tumulatus ſepulcro an. 1665 Nec. S.M.N. n. 1141. & 1156

Petrus Strozza Vbertini fil. Flor Ord. Præd. Theolog. publicus in Patrio gymnaſio Profeſſor ann. 1359., ac Pariſinus Doctor inſignis, miræ conſtantiæ, ac firmitatis etiam ab adoleſcentia Vir, in conuerſatione præclaræ ſcientiæ, ac in ſuo à vita diſceſſu pijſſimæ deuotionis, verè Petrus in petra Chriſto firmatus, miro ſtudio diuinis literis, ac SS. PP. lectioni ita incumbens, vt ijs auidius hauſtis, plurimos eruditione ſuperauerit non tam ſcientiæ claritate, quam vitæ ſanctimonia, ac virtute multiplici, nec non incredibili prudentia, religioniſq; feruore, propter quæ illi ſemel, atq; iterum demandata fuit Romana Prouincia, quam per decennium laudatiſſimè rexit. Ob ſapientię ſingularem prerogatiuam tertius erat in eadem Magiſter, ſed non ſecundus alijs duobus merito virtutis, quare à Floren. Republ. cum aliquibus probatiſsimis Viris fuit delectus, vt ſu-

tum ſcripto proferret ſuffragium circa Montis Pij Erectionem, quod liberè, ac doctè præſtitit omni poſthabito reſpectu. Ab Innoc. VI. Sum. Pont. ei contradita fuit Armenorum S. Baſilij fratrũ cura, ſeu Congreg. S. Bartholom. de Ianua, ab Innoc. X. poſtmodum ann. 1650. iuſtè ſuppreſſa, quos ille ſuſcipiens, ac regularibus inſtitutis ſubijciens plurimum illis vtilitatis contuliſſe perſpicuum eſt. *Super Aritmeticam ſcripſit*, atque alia permulta præclara peregit. Et tandem cum diutiſſimè in his pijs officijs deſudaſſet, morbo correptus, & ſenio, Deo felicem animam reddidit 10. kal. Maij 1462.. Vir profectò optimus, & poſteritatis æterna memoria dignus, vndè eius funus celebri cognatorum pompa celebratum eſt, aſſidente eius capiti Petro Corſinio Flor. Antiſtite, & ſupremo Magiſtratu, cum ingenti Ciuium mærentium concurſu. Io: Carli in vita ven. Alexij Strozzæ, & Necr. S.M. N. n. 413. vbi *probitatis ſpeculum* nominatur.

Petrus Ranzanus Siculus Panormit. Ord. Præd. an. 1447. 6. idus Auguſti inter Vniuerſit. Flor. Baccal. conſcriptus, poeſi, oratoria arte, hiſtoriæ peritia, atq; Theologica facultate præſtantiſſimus, quare ob ſcientię omnigenę ſingularem famam à Ferdinando I. de Aragona filijs Alphonſo II. primogenito, & Ioanni poſteà S.R.E. Cardin. in præceptorem datus, Epiſcopus deinde Lucerinus in Apulia Dauonia à Sixto IV. 6. kal. Nou. 1478. ſuffectus eſt. Legatus poſtmodum ad Pannonię Regem Matthiam Coruinum, vbi iuxtà Regis vota triennio iniunctum ſibi munus ſedulò adimpleuit. Quo tempore *De Rebus Vngaricis librum, quem eidem Matthiæ dicauit*, conſcripſit, eumque defunctum funebri oratione laudauit, eum aſſerens: *Strenuum Chriſtianitatis tutorem in Turcas*. In Italiam reuerſus, ſcripſit *De Vrbis Panormitanæ antiquitate*, nec non *De Lucerinæ Ciuit. laudibus*, ſicuti etiam compto ſtylo *Vitam S. Vincentij Ferrerij in tres diuiſam libros, cum Officio eiuſdem Martiali Dominicanorum Generali dicato*, *Collegit inſuper in quatuor volumina ſcientias ſpeculatiuas, & practicas, Geographiam, atq; Hiſtoriam, Annaleſque omnium temporum, quos morte præuentus incompletos reliquit cum Orationibus nonnullis*; De quibus diſtinctè in Biblio-

theca Dominic.. Vir ſanè potens in opere, & ſermone pergrandia multa peregit,& à Sede Apoſt. impetrauit; placidaque tandem morte, dierum plenus quieuit, in propria Eccleſia an. 1492. communibus Vrbis, & Regni vtriuſque Siciliç lacrymis, parentatus. Altamura in Biblioth. Vghell. tom. 8. Ital. sac.

Petrus de Saraguſta Auguſtin. id. Septemb. 1490, Vniuerſit. addictus, & Doctor inſignis declaratus, ob ſuas egregias virtutes, vitæq; integritatem, in Sardineç diſtrictu Epiſcopus ſublectus eſt. Ex antiquiori catal.

Petrus Ludouici Mazzantis de Fighino Ord. Min., in noſtra Vniuerſit. laurea, ſimulque loco inſignitus ann. 1473. 15 kal. Sept. ob raram prudentiæ laudem prius Generalis ſui Ord. à secret., deindè Miniſter Prouincialis Tuſciç plenis ſuffragijs in Ciuit. Craſſetana electus prçſidente Franciſco Sanſone Gener. Miniſtro Viro vndequaquè præclaro, ob cuius deceſsum Flor. ann. 1499. Progeneralatum geſsit.

Philippus Medices Ord. Seru. Dialecticæ, Philoſophiæ, ac Theolog. perpetuus cultor, poſt ſuſceptum Pariſijs comprobatę virtutis annulum, in huius Vniuerſit. numerum redactus, multa edidit, interque ſuperſunt in Biblioth. D. Annunc. *Comment. ſuper octo lib. Phiſicorum cum præcipuis Theoremat.* Florentię occubuit circa ann. 1490. Gian. p. pr. Ann. Ser.

Philippus Groppantes Flor. Ord. Erem. in sacra maiori ęde aulatus, vt aiebant, & veſperiatus decimo kal. Iunij 1451., Theologus, & Concionator egregius, ſuis virtutibus abundè ſe clarū reddidit, tum in regimine Piſarum Prouinciæ, tum Florent. ſui Ord. gymnaſij, alijſque in muneribus, ſed potiſsimùm *ſuarum Concionum pergrande relinquendo volumen*, *quod Piſis apud ſuos aſſeruabatur*, vt omnibus ſua eruditione, doctrina, chriſtianaque, qua refertum eſt, pietate, quod olim viua voce pro ſubſellijs facundè explicauerat, ſemper proficeret, è vita ſublatus 12. Kal. Decemb. 1495. Elſſius.

Philippus Mucagatta à Caſtellaccio Alexandriç Seru., Romę primum Magiſt. deſignatus 10. Kal. Maij 1477., in Vniuerſit. deindè 5. Id. Martij 1489. plenis ſuffragijs omnium deſcriptus,

Re-

Rethor eloquentiſsimus, acutus Dialecticus, diſertus Philoſophus, I.V. Doctor, Declamator gratiſsimus, Theologuſque præſtantiſsimus, ſuper *Ariſtot. Logicam, & Philoſophiam, quam Mediolani, & Senis* fuerat publicè interpretatus, vbi etiam Theologiam ſolemniter profitebatur, Senen. Collegio ſubſcriptus, *Comment. edidit, expoſitionemque ſuper Cantica Canticorum, & alia*. Deuixit Mediolani ann. 1511. dum in ſac. maiori æde incredibili Doctiſſimorum frequentia, & admiratione Diuina explicaret myſteria. Gian. 2. p. Annal.

Philippus Ferrarius Alexandrinus Seru. 11. kal. Iulij 1578. laurea Magiſtr., atq; Floren. Theolog. conſortio ſimul donatus in emeriti honoris teſſeram, doctiſsimusquè, ac integerrimus Vir, cuius ſingularis pietas, vitę rigor, morum probitas, omnigena doctrina admirabilis, Gręcæ, Latinęq; peritia, non ſolum Religionis Seruor. B.M.V. summam, cuius præfecturam, maxima omnium PP. vtilitate ſemel, atque iterum adminiſtrauit, verùm etiam Clementi VIII., Paulo V., & Vrbano VIII. Summ. Pontiff. ſpectata diù, admirationis fuit. Qui poſtquam in publica Ticinenſi Academia 48. ann. Mathemat. interpretatus eſt, Geographiam, & Hiſtor. diſciplinas ſcriptis illuſtrauit. Mediolani felix obijt an. ſal. 1626. tertio non. Sept. ætat. verò ſuę 75. Ità ex epigraphe, quam PP. Ticinen. Ser. quibus poſt innumera beneficia extremum munus ſui corporis reliquit, beneficentiæ memores, tanto Viro, ac parenti poſuerunt an. Dom. 1628., quod etiam ipſi præſtiterunt viuenti ann. 1607., vt ex alia conſimili liquet inſcriptione; Verùm viri ita eminentis æternum magis deprędicant nomen ſingularia relicta ingenij monumenta; quæ ſingillatim recenſentur à Ghilino p.p. Theatri Vir. liter. quæ ſunt *Epitome Geographic., noua Teographia in Martirolog. Rom., Catalogus Sanct. Italiæ, Catalogus Gener. SS. qui in Martyrol. Rom. non ſunt, Additiones ad Calepini Diction. & ad Vocabular., Topographia Poetica, Lexicon Geographicum, & alia*, quæ celeberrimum teſtantur Ferrarium, ac aureum proferunt Virum. De quo Gianius 2. p. Ann.

Philippus Arrighettus Io. Aloyſii fil. Patrit. & Can. Fl. 11. Kal. Decemb.

cemb. 1631. Magiſter, & Collega ſimul Patriæ Vniuerſ. meritò declaratus, humanitate, ac literatura inſignis, coluit magni nominis Viros Patauij, & alibi profeſſores, diuerſas lucubrationes m.s. in ſuæ virtutis eximiæ reliquit teſtimonium, propter quas, aliaſque ſingulares prerogatiuas benè laudatus, ſed numquam ſatis, à Ioanne Rhò Societ. Ieſu præclaro Viro. Deuixit Flor. 27. Nouemb. 1662. Pęnitentiarius Metropolit. iam ab Vrbano VIII. dignè conſtitutus, in eaque tumulatus octuagenario maior.

Philippus Soldanius Flor. ex Canonico Archipresbytero patriæ Metropolit., & Vicario Archiepiſc. Feſulanus Antiſtes ſublectus à Clemente X. Sum. Pont. ad Vniuerſ. noſtram cohoneſtandam magis, accedere voluit cooptandus in ea anno 1672. tertio Idus April., viua omnium Collegarum voce, & communi plauſu ei adauctus in Eccleſia S. Spiritus, Decano Mag. Franc. Benfacto Eremit. ſingulari exemplo tantæ dignationis Viri doctiſſimi, & ingentium meritorum, gratus Etruſcis Principibus, & Leopoldi Cardin. Auditor, alijs prætermiſſis muneribus. Fato ceſſit ann. ærát. ſuæ vndequinquageſimo ſal. 1674. idibus Auguſti breui conſumptus morbo, lacrymantibus omnibus, præcipuè pauperibus, atque ægenis, quorum munificus euaſit Pater, ſuæ nobilis familiæ extremum germen, tumulatus in S. Marię in Campo Feſul. Eccl.

Proſper Roſſetus Flor. Ord. Seru. 4. kal. Iulij 1582. laurea in Vniuerſit. decoratus, Orator, Poeta, Philoſophus, ac Theolog. acutus, & elegans à Franciſco M. Etruriæ Duce in Piſano gymnaſio publicus Lector conſtitutus, Metaphyſ. Ariſt. vna cum ſacra Script. dum publicè interpretaretur, multaquè interim *Opuſcula, & Comment.* pararet omni tum pietate, tum eruditione referta, immaturo obitu ante ſenectam præuentus, defecit nono Kal. Auguſti 1598. euulgatis tamen prius *Comment. in Cantic. Canticor., atq; duabus latinis Orationibus*, ſimul cum *Tract. de Oratione, & Angelicæ Salutationis Libro*, quæ duo Etruſco ſermone conſcripſit. Gian. p. 2. Ann.

Ra-

R

RAphael Saninus Ord. Min. in Magiſtrorum Vniuerſit. numerum 7. idus Febr. 1532. relatus, & in eiuſdem Decanorum ſerie ann. 1542., Vir ſanè, literarum ſtudio, vitæq; probitate conſpicuus, Sereniſs. Coſmi Magni Etr. Ducis à confeſſionibus in ſumma veneratione habitus, contra hæreticam prauitatem S. Inquiſitionis Offic. in toto Dominio Florent. ſingulari cum pietate, tum vigilantia exercuit.

Robertus Strozza Floren. an. 1629. 16 kal. Nouemb. dignè promeritis Doctor, & Collega noſtræ Vniuerſ. inauguratus corã D. Alexandro Martiomedices Archiep. qui ſingularis indolis Vir ex Canonico Metropol., & Abbate ſæculari, Epiſc. Collenſis creatus ann. 1638. menſe April., ad Eccleſ. deinde translatus Feſulanam 1645. die 12. Iunij ab Innocentio X. Sum. Pont. quam in ſpiritu lenitatis rexit vſque ad annum 1670. deficiens 8. Kal. Maij, dignus germanus Alexàndri Archiep. Firmani, qui fuit incomparabile ad omnem pietatis laudem exemplum. Ex Vghell. tom. 3. Ital. sac.

Romulus Laurentianus Lauren. fil. Flor. Ord. Seru. Doctor Vniuerſit. 5. id. Iunij 1515. laurea ſuſcepta, quanta vndequaque virtute excultus præfulxerit, Ticinenſem, & Piſanam Academiam non latuit, quibus in Vrbibus non modico auditorum plauſu, & vtilitate Dialecticam, Philoſophiam, Metaphyſicã, ſacramq; Theologiam publicè interpretatus fuit iuxtà mentẽ Scoti, *perpetuis ſuarum virtutum lucubrationibus permultis, & varijs, præcipuè etiam contra Lutherum, quas refert catalogus illuſt. Scriptor. Flor.*, poſteritati ſimul cum vita relictis 12. Kal. Nouemb. 1544. æt. ſuæ 56. Piſis ab Archangelo Priorino laudatus dignè in inferijs, ac luculenter, toto Doctorum aſſidente cętu, ſicut præſtitum hoc quoquè fuit in Flor. cænobio Seru. à Zacharia Faldoſſio non minori elegantia, dolore, ac pompa, toto Collegio Theolog. interueniente, ex Gianio par. 2. Annal., vbi plurima de tanto Viro digna lib. 1. Cent. 4.

Sal-

S

SAluus Caſſetta Siculus Panormitanus Ord. Pręd. Vir ſpectabiliſſimus, in omnibus præclarus, & celebrandus, Florent. Collegij prius anno 1445. prid. kal. Martij Baccal. ſalutatus, & 4. Kal. Ianu. 1448. Magiſt. & Collega; quantùm ſuarum virtutum luce illud clarificauerit poſteà, ipſa comprobauit experientia, nam ſummus Theologus, 26. annos in Sicilia fidei Quæſitor, & deindè S. Palatij Magiſt. per ſeptemnium, inſtitutus an. 1474. à Sixto IV. Sum. Pont., cui ſemper fuit acceptiſſimus, & familiaris, euaſit ſui Ordinis Gener. præfectus, incredibili cum omnium conſenſu aſſumptus, iam cæteris Prædicatorum muneribus præclarè functus, miſſus poſteà pro arduis Eccleſiæ rebus ab eodem Pontif. in Germaniam Legatus; & re ex voto perfecta, reuerſus, functus ordinis Magiſterio per biennium, de ſe maiori ſpe, deſiderioq; relictis, in mortis amplexus corruit Romæ 17. kal. Octob. 1483. ann. 70. ad Mineruam ſepultus nobili cum inſcriptione, quam P. opt., & benemerito Ordo eius poni curauit. Scripſit *S. Vincentij Ferrerij Vitam, & quamplurimas Epiſtolas maxima eruditione refertas*. Fontana in ſyllabo Mag. S. Pàlatij.

Sanctes Marmocchinus, Flor. Diœceſis, à S. Caſſiano oriundus Ord. Præd. iam ſingulari adepta plauſu Patauij Magiſtr. laurea nobili ſumptu DD. Canonicorum illius Cathedr. Eccleſ., 6. idus Octob., pari plauſu, ann. 1542. Flor. adijcitur Colleg., eiuſdē deindè ſequen. anno Decanus meritiſs.. Inſignis ſanè Theologus, Mathematicus præcipuus, Hiſtoricus percelebris, ac vnico verbo, Encyclopediacus profectò vir ob omnis artis, ſcientiæ, atq; intellectulis virtutis encyclopediam, quam ſe fuiſſe oſtendit in plurimis ſui pluſquam ſublimis, ac vehementis ingenij monumentis orbi literario relictis, clarè nimis à ſe recenſitis in eruditiſs. *Præfatione Bibliæ Sacræ ad Dominum Oratorem Gallicum*, quam viginti duorum menſium ſpatio, ex Hebræo, Græcoq; idiomate, graphicè, & feliciter tranſtulit, Vene-

netijs impreſſa in fol. ann. 1538., omiſſo *Dialogo de Tempore, ac Tract. de Feſt. Mobilibus* Etruſco ſermone conſcripto, quæ inter nonnulla alia in Biblioth. Marciana, cuius cœnobij erat alumnus, m.ſ. aſſeruantur Flor. vbi quoquè extat *aureum Opuſculum, quod Defenſio inſcribitur Etruſca lingua, eadem materna lingua compoſitam Coſmo I. Mediceo dicatum, in Magliabechiana inſigni Biblioth. vt ſingulariſſimum m.s. cuſtoditum*; Ex quo equidem ſatis abundè venatur ingens meritorum, atque laborum tanti Viri copia, de quo nimis parcè Poſſeuinus, Pocciantius, Plodius, Fontana, & nuper Altamura in Biblioth. Domenic. Omnium ferè Idiomatum peritiſſimus, linguam sanctam præcipuè edocuit cum Philoſophia Canonicos Regul. Abbatiæ S. Spiritus propè Venetias, Patauij deindè, & diutius Venetijs demùm, & diutiſſimè, ſi magnis allectus præmijs à Sereniſs. Republ. eiquè oblatis, & præſertim à Nobilibus *De Mocenigra* inclyta gente immorari ibi voluiſſet. Domeſticos reuerſus lares, voluminibus 150. non exigui valoris ſecum delatis, meritis, quam annis onuſtior, comparata vbique immortalitatis fama, & declamando, & docendo, ac ſedulò antiquitates inueſtigando Etruſcas, quarum perfectam nactus erat cognitionem, Florentiæ floruiſſe ann. 1545., ex Vniuerſit. monumentis accipitur antiquioribus.

Scipio Ammiratus Iacobi fil. Presb. Alatinus, Florent. origine, deindèq; Canonicus, quod publicum ſuæ idoneitatis prò sac. Theolog. Magiſterio iuxtà sac. Trident. Concil. præſcriptum seſſ. 22. de Refor. cap. 2. teſtimonium ab hac Vniuerſit. receperit, quodque *à faſtis, & Annalibus Etruſcorum Principum fuerit Scriptor excultus, ac preſſus, quodque Vniuerſalem Florent. antiquitatis hiſtoriam typis egregiè mandauerit, cum varijs alijs Operibus recenſitis clariſſimè in pluſquam accuratis, & eruditiſ adnotationibus ad Biblioth. Neapolit.*, quod tandem multis alijs titulis percelebris videatur, dignus cenſendus proindè, vt in hoc Magiſtrorum albo ad aliorum excitandam virtutem referatur. Anno 1601. à Chriſto nato 3. kal. Febr. deuixit immortalem adeptus famam. De eo dignè noſtri sæculi eruditiſs. Scri-

ptor D. Laurentius Craſſus Pianuræ Dynaſtes p. p. Elog. Vir. Literat.

Sebaſtianus Buontempius Flor. Michaelis fil. Ord. Præd. Venetijs ann. 1486. Magiſter proclamatus 14. Kalend. Maij, poſteà ann. 1490. 6 Id. Sept. patrio in Collegio receptus, iam anno 1485. in ipſius Baccalaureor. albo repoſitus, ac poſtmodum ann. 1501. inter Decanos, ſtudijs delectatus, literaturæ bonę euaſit Vir, ac Declamator non contemnendus, qui hoc præſtitit munus Florentiæ in S. Laurentij templo, ac S. M. Nou. & Romæ. Præfuit præfato ſuo Cœnobio, in Comitijs Prouincialibus, ac Generalibus aliquando Definitor, à ſecretis etiam ſui P. Reu. Generalis, ac demum Rom. Prouin. Vicarius, quo in obeundo munere grauatus laboribus, breui correptus morbo, annorum 48. Deuixit 12. die Nouemb. 1509. Necrol. S. M. Nou. num. 746.

Sebaſtianus Turrianus à Puppio Ord. Min. vnà omnium voce Magiſterio in Vniuerſit. 18. kal. Iulij 1565. decoratus, Philoſophus, ac ſac. Paginæ Profeſſor non vulgaris Trident. Conc. interfuit, multas Italiæ Ciuitates Diuini verbi reſperſit ſemine, Hęreticę prauitatis gener. Dominij Senenſis Inquiſitor. Tandē Ticinum accerſitus, dum ſacram Theolog. publicè, & plauſibiliter explicaret, Deuixit ann. 1584.

Siluester Ord. quondàm Humiliatorum, ex qua quidem familia plerique Viri docti, & de Floren. Vniuerſ. benemeriti antiquitus prodierunt, iam prius Patauini gymnaſij Baccalaureus Theologiæ pro forma, demùm Florentiæ ſolemni ritu in S. M. Nouellę alma Eccleſ. 17. kal. April. 1460. Veſperiatus, quomodo tunc moris erat in doctiſſimis Laureandis, poſtmodum verò prid. id. April. pari, & maiori pompa in Matrice Eccleſ. laureatus, atq; Vniuerſit. adſcriptus fuit. Quod ad venerandæ antiquitatis recordationem conſeruandam tantummodo liceat adnotaſſe.

Silueſter Brunacchius Flor. Camaldul. Monachus pridie non. Iulij 1621. laurea, ac loco in patria Vniuerſit. donatus, promptiſſimi ingenij Vir, Declamator inſignis, Artium Lector Flor. & ali-

& alibi tyronum ſuæ Religionis ità ſubtilis, vt à probatis Philoſophis, & Theologis vbique in magno ſit habitus pretio, ſicut; & talem fuiſſe adhuc clarè oſtendunt elucubrationes, quæ m.s. aſſeruantur in S.Mariæ Angelorum Biblioth. Flor. redolentes profundam eruditiſſimi Viri ſpeculationem, de qua ad admirationem vſquè, legentes attentè, loquuntur. Quarè meritò Lector publicus in Piſano Lyceo inſtitutus, & admiratus ſimul. Deuixit dum ad maiora erat euocaturus, laboribus plurimis in continua lectione, & indefeſſo ſtudio defeſſus, cuius erat pluſquā cupidus, & ſitibundus. *Ex* hoc sac. Inſtituto fuit etiam *Benedictus Brunus* Flor. noſtri Collegij perdignus alumnus, ann. 1610, 6. Iunij die laurea, locoq; in eo donatus, vtpotè iàm Abbas Piſanus I.V.D. non exiguè in ſpeculatiuis verſatus ſcientijs, & tandem percelebris Declamator in Tuſciæ finibus, & exterius itidem, quod ſat eſt, vt hic cum Brunacchio colluceat, atque clareſcat candidius.

Simon Tornaquincius Flor. Eremit., auitæ nobilitati, vitæ probitati, bonarumq; Artium ſtudia coniungens; Pataui primū inauguratus Magiſter poſt emeritos virtutis labores Kal. Martij 1460., deinde huic accitus Vniuerſit., *Quadrageſimales Sermones*, doctrinæ, ac pietatis ſimul ſuæ teſtes poſteritati ſacrauit, *Vna cum Vita S. Monicæ D. Auguſtini Matre, ex ipſius libris compoſita*, vtrumque Flor. in S. Spiritus Biblioth. aſſeruatum, vbi occubuit 13. April. ann. 1426., tumulatus honorificè in eiuſdem almi Cœnobij periſtylio. Elſſius.

Simon Bertius Flor. Ord. Præd. Bartholom. fil. In Vrbe 1482. declaratus Magiſt. non. Iulij, & anno 1484. 7. kal. Nouemb. patrio Collegio cooptatus, Vir multæ virtutis, & vitę laudabilis plurimis honeſtatus honoribus, inter quos fuit Præfectura Romani cœnobij, & Patrij, ac Tuſciæ Vicariatus; Prædicator gratiſſimus, & admirandæ facundiæ vbique, ſed præcipuè Florentię, in cuius maiori sac. æde cum maximo populi concurſu declamauit, & in S.M. Nou. templo, cubiculo gratitudinis gratia ob id ab illius Operarijs ei in cœnobio conſtructo, Romæ, Bononiæ, alijsque Italiæ præcipuis Vrbibus idipſum

 lau-

laudatiſſimè præſtitit, & demum Lucæ infirmatus deuixit ann. 1491. 17. kal. Octob. volumine relicto, quod inſcripſit *Diuerſorium Concionatorum, quo integrum Quadrageſimale, & Sermones ſexaginta continentur*. Necrol. S.M.N. n. 709.

Sinibaldus Aldigherius D. Donati fil. Flor. *Dantis Poeta* dignus agnatus Ord. Præd. Bononiæ inauguratus Magiſt., patriæ voluit Vniuerſit. adſcribi, doctrinæ magnæ, & religioſæ probitatis, ac prudentiæ conſpicuus, ter patrio Conuentui laudatiſſimè præfuit, ſæpius Prouinciam moderatus Romanam, alijs quoque pręclarè perfunctus muneribus, atq; Bononienſis Inquiſitor, nec non Declamator gratiſſimus. In Domino quieuit, quam deuotiſſimè, ſuæ religioſæ munificentiæ, & ſingularis pietatis relictis perpetuis monumentis, Flor. Kal. April. 1439, Priorali fungens munere. Necrol. S.M.N. n. 612.

Stephanus Tarentinus Ord. Præd. 5. id. Iulij 1450. laurea ditatus Magiſtr. ſimulque Vniuerſit. adiunctus, Vir eximius, & eruditus, gratia Verbi præclarus, & in eo mirabilis, exquiſitus in perſuaſione, ac in ſcientijs doctus, qui dum verbum vitæ indeficienter, & alacriter prędicaret magnam Chriſti ouium errantium multitudinem ad ipſius ouile perduxit. Claruit circa ann. 1485. vt ex Apuliæ habetur relationibus, ſcripſit poſteritatis iuuandæ cupidus *Sermones Quadrageſimales*. Hiſt. Illuſtr. Vir. Prouinc. Regni Ord. Præd, plura.

Stephanus Benincaſa Flor. Ord. Præd. an. 1452. 5. Kal. Iunij Magiſtr. redimitus Bireto, locoque potitus ſimul patrio in Collegio, cuius ann. 1456. humaniſſimus extitit Decanus. Vir equidem vndique reuerendus, ac laudandus, in literis ſiquidem præclarus, & ſtudioſiſſimus ſemper, moribus ſuauiſſimis refertus, atque integris, pacis intrepidus ſemper ſectator, ſimultatum perpetuus acerrimus inſectator, & hoſtis; Quater cœnobij S.M. Nou. Præfectus, Romanæ Prouinciæ Vicarius pluries, ac illius capituli non ſemel definitor, Virginibus Deo dicatis à S. Petro Maiore nuncupatis præfulſit regimine Vicarij, & exẽplo immaculatæ vitæ. Nobilibus Ciuibus, ac fęminis à cõfeſſionibus, & à conſilijs theologicis imprætermiſsè, ad eum tan-

tanquam ad ſapientiæ cœleſtis oraculum confugientibus; & omnibus debitor factus, ſana mente, ſanoque conſilio, eſtò inſanus corpore, eis preſtò erat vſquè ad extremam ęgritudinem, quam diù incredibili patientia tollerauit, qua demum conſumptus, & ſenio, ſemper ſpiritu validus ex hac fragili diſceſſit vita, 75. annos natus, 4. non. Auguſti 1491. Necr. S.M.N. n. 708.

Stephanus Nicaſij Belga Ordin. Seruor., Parmæ Magiſterij inſignijs iam obtentis, Floren. Vniuerſ. 5. kal. Martij 1482. quã libenter addictus, Theologus non parui nominis, in diſputando acerrimus, Philoſophus præcipuus Bononienſi in publico gymnaſio Metaphyſicam Ariſt. diutiſſimè, & glorioſè cum Diſcipulorum profectu ad mentem præcipuè Scoti interpretatus ad deceſſum vſque anno 1500. circiter. De quo magno Didaſcalo, & ſubtili diſputat. Gian. 2. p. Ann.

T

THomas Quercetanus Flor. Bernardi fil. Præd. Ord. in Vniuerſit. patria receptus primum, vt Baccal. anno 1431., & anno 1436. aulatus iuxta eius præſcriptum, tandemq; cooptatus extitit an. 1443. 6. idus Septemb., cuius etiam Decanus renunciatus fuit ann. 1451., Magnæ Deuotionis, & non exiguę literaturæ Vir, perquam ſtudioſus, Eccleſiaſtes Apoſtol. acceptus valde in quam pluribus Ciuitatibus, & ſui Ord. Eccleſijs; prudentiaq; præditus Conuentui S. M. Nou. præfuit, tandemq; peſſima percuſſus infirmitate patienter tollerata vſq; ad mortem, deuixit anno 1459. ſuæ ætatis 60. 4. kal. Ianu. cum D. Thoma Cantuarienſi regnaturus, vt ſperamus, in cœlis. Necrol. S.M. Nou. n. 654.

Thomas de Reate ſer Antonij fil. Ord. Præd. Florent. conſcriptus Vniuerſit. anno 1506. 7. kal. Iulij, cui quoq; præfuit Decanus ann. 1516., literaturæ ſingularis, ac prędicationis laude conſpicuus, gymnaſia Romanæ Prouincię diutiſſimè eſt moderatus, nam in ſolo Conuentu S. M. Nouellę quinque exceſsit luſtra in ſtudiorum præfectura, quam laudatiſsimè publicas in comitijs

tijs Prouincialibus pluriès habendo cum gloria Diſputationes, inſuperq; Conciones ſumma cum gratia in omnibus ferè Italię ciuitatibus, & præcipuè Venetijs vbi dono accepit à Sereniſs. Repub. inſignem vnius Sancti Infantuli Innocentis Reliquiam, magno à Ciuit. Florentiæ gaudio acceptam, & tripudio ad S. M. Nou. sac. ædem deuotiſſimè, ac solemniter delatam, cuius cœnobij fuit munificentiſsimus alumnus, vbi annos natus 64. deceſsit 4. non. Decemb. 1519., mærentibus omnibus Collegij PP., qui funeri interfuerunt tanti Viri, cuius notiſſima erat eloquentia, & virtus ob pluriès habitas ab eo etiam elegantiſſimè orationes. Necrol. S.M.N. n. 768.

Thomas Boninſignius Senenſ. Ord. Præd. 7. Kal. Nouemb. 1573 cum artium, & Diuinæ Theologiæ iura calleret inſigniter, quique in Florentina Academia ipſam Theologiam publicè profiteretur, in numerum Magiſtrorum Vniuerſit. fuit perbenignè exceptus, eorum poſteà anno 1590. humaniſſimus Decanus, maieſtatis ſemper Vniuerſit. amplificandæ ſtudioſiſſimus, vt ipſa comprobauit experientia, & oſtendunt eiuſdem monumenta. Non tantum voce docendo luſtris quinq; Theologiam Florentiæ, & conſulendo inprętermiſsè circa moralia pro conſcientiæ iuuamine, præclariſſimum ſe reddidit viuens; verùm etiam idipſum præſtitit calamo plura edens *opuſcula prius vernacula lingua de cambijs, deque alijs ad Conſcientiæ integritatem potiſſimum neceſſaria, poſteà latinitate ab eo donata vno volumine comprehenſa ſub hoc titulo: Tractatus ad iuſtas emptiones, & venditiones, ſicut etiam fecit de Opuſc. Sauonarolæ contra Aſtrologos, à Petro Angelio Bargæo ſummopere laudato quo ad orationis elegantiam. Compoſuit, & recitauit Orationem doctam nimis de laudibus S. Antonini, deſcripſitque haud infabrè omne quod in ipſius feſto Translationis notabile ann. 1589. accidit*, & demùm ann. 1609. 7. id. Ianu. Flor. ſenio confectus occubuit. Razzius de Viris Illuſtr. Ord. Præd.

Thomas Caccinius Flor. eiuſdem Præd. Ord. 8. id. Octob. 1636. patrio addictus Collegio iam in ſua Religione dignè promeritis inauguratus Magiſter., Gymnaſijque Flor. Theol., & inſignis

gnis literaturæ, & probitatis, qui ab adoleſcentia vſquè ad ſenectam, & ſenium libros verſauit manu nocturna, pariterq; diurna, vt eius teſtantur liquidò volumina iam edita, & edenda fortaſſis aliquando, euulgauit enim viuens Etruſca lingua *Hiſtoriam Niceni Concilij*, *nec non Eccleſiaſticos Annales à Domino nato ad ann. 202. impreſſo primo volumine Flor. 1639.*, altero incompleto relicto dum ſub prælo erat Lucæ tempore eiuſdē deceſſus, qui fuit anno 1648. 12. Ianuar. iam anteſignanus ſui Conuentus Marciani, priùs Ciuit. Cortonij, & Prati, olim Studior. Magiſtri in Vrbe, & Pœnitentiarij functus munere in Baſilica Liberiana an. 1613.. *Ex* hoc eodem inſigni Dominicano Aſceterio, alij clari Viri prodierunt Vniuerſit. Florent. commilitones, & collegæ inclyti, ſed naſciſci aliquorum non potuerunt facinora; ſat ſit nominaſſe ex iunioribus Io: Franciſcum Florauantem, & Thomam Bardium Florent. qui non parui nominis fuerũt verbi Dei declamatores in permultis Italiæ Vrbibus inſignibus ſpeciali cum plauſu auditi, & laudati, vt iam compertum eſt, relictis præfecturis dicti Conuent., & aliorum, quos laudabiliter rexit poſterior.

